LIBER

PARAMIRVM

CLARISSIMI DOCTISSIMIQVE VIRI AREOLI THEOPHRASTI Paracelsi, In quo vniuersalis, Theorica Physices & Chirurgiæ origines, & causæ morborum traduntur, medicis omnibus vtilissimus & necessarius.

Accesserunt huic & hi qui sequuntur libri.

De modo Pharmacandi.
De Xeondochio.
De Thermis.

A quodam docto, & Theophrasticæ medicinæ studioso nunc primum è Germanico in Latinum sermonem conuersi.

Cum gratia & priuilegio Cæs. Maiest.

BASILEAE.

PER PETRVM PERNAM.

M. D. LXX.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
13993

OPVS PARAMIRVM AVREOLI THEOphrasti Paracelsi Eremitæ, conscriptum in honorem probissimi & doctissimi viri, D. Ioachimi Vadiani, doctoris Medicinæ, & consulis Sactigallensis.



Vum absque cognitione principiorũ, atque præceptorũ nihil verè possit sciri: oportet opꝰ PARAMIRVM conscribere, in tuũ, doctor Ioachime Vadiane, honorẽ, qui præreliquis ad veritatem sternis omnẽ viã: in qua ambulantes decet hæc obseruare. Videlicet considerãdi sunt errores cõmissi in Medicina, in qua tu cũctis medicis nostræ patriæ Heluetiæ præluces, ac iustam palmã fers, præsertim in iudicando eam. Nam (vt ingenuè dicam) spero & scio te eum esse, qui absque personarum respectu, intellectis erroribus, cito eos reiecturus, & adhæsurus sis veritati. Qua de causa etiam omni studio in hoc sum, vt tibi queam prodesse, & meũ tempus, quod hîc in Sãcti Galli vrbe in-

sumo, ne inutiliter elabatur, ac tuam laudem & scientiam vt excitem in rebus naturalibus ad iudicandum, ne tui & mei vnquam Medicinę operam nauantes obliuiscantur. Tu enim, qui non solùm foues veritatem, ac non minimum deprehenderis membrum amplectendi veritatem, & promouendi ea, quæ sunt æternitatis, non minus etiam eris promotor earum rerum, quæ sunt corporis, & in quibus æterna habitant. Quare meum officium est, tibi meã *Paramirici* operis partẽ dedicare, quæ hoc modo incipit.

Primò medicus animaduertere debet, hominem constare tribus substantijs. Licet enim homo ex nihilo sit creatus, attamẽ in aliquid redactus atque efformatus est. Illud aliquid est diuisum in tria, quæ totum constituunt hominem, ac ipsa sunt homo, ac vicissim ipse est idem quod illa tria. Ex illis, & in illis habet omnia sua bona & mala, quãtum ad physicum attinet corpus. Ex quo sequitur, medicum debere totam istorum distinctionem seu distributionem, compositionem, sustentationem vel statum, & dissolutio-

dissolutionem nouisse ac scire. Quoniã in ipsis tribus ita cõsistit morbus totus, medius, & minima eius pars, vt illic inueniatur quanta sit magnitudine & numero sanitas, & põdere infirmitas. Non enim negare medicus debet: morbũ in numero, mensura & pondere consistere. Si ergo morbus sic se habet, ante omnia istorum fundamentum est tradendũ, ex quo nomina sua sortiantur. Quod & imprimis ad introductionem necessarium est vt perpẽdatur. His quoq; mors adest, in eo, si illis tribus vita adimatur, quorum coniunctio & temperies, vita, adeoque ipse homo existit. Ex illis itaq; tribus substantijs proueniũt omnes causæ, origines & cognitiones morborum: nec non & signa, natura, proprietates, & quicquid medico cognitu opus est. Hæc itaque tria medico perfectè sunt cognoscenda, quęnam sint, & quomodo sanitatem aut morbum efficiant. Sanitatis enim, & morbi, vna eademque est scientia. Sicut enim ægritudo nascitur ex bona valetudine, ita quoque bona valetudo ex infirmitate. Vnde non solùm in morborũ causis cognitio versatur, aut

versari debet, sed etiam in restituenda sanitate. Cæterùm indocti medici inuaserunt lumen naturæ, illudque depraua runt, & his tribus naturæ substātijs non perpensis, aliud extra eum fundamentū sibi proposuerunt, quod ipsis proprij capitis phantasia absque naturæ luminis testimonio suggessit: non animaduertētes, nullum medicum posse morbi vel hominis cognoscere fundamentum absque magno naturæ lumine, quod lumē est maior mundus. Quemadmodum enim aurū septies igni probatur: ita quoque medicus septies, ac amplius per ignē probari debet: hoc est, ignis probat tres illas substantias, easque oculis proponit puras & claras, sinceras & perspicuas: id est, dum ignis non adhibetur, nihil probatum adest: ignis omnia probat. Quod sic intelliges: Sordes vbi amotæ fuerint, tres illæ substātiæ manifestè apparent. Sic ergo medicus probatur, non seipsum comburendo, sed vt ars ipsius, theorica & practica, igni baptisentur. Hæc enim se rusticorum oculis nō subijciunt, nec manibus ita palpantur. Ignis igitur illud est, quod res absconditas & occultas

occultas in lucem profert. Hic est mundus, quo scientia Medicinæ proponenda est.

Ex his sequitur, Deum creasse medicinam, ideoq; eam igni cõsistere & probari. Sic quoq; creauit medicum, vt ex igne nasceretur. Medicus verò ex medicina est, & non ex seipso. Qua de causa per examẽ naturæ, (quæ ipse maior mũdus est cum omnibus suis principijs) oportet procedere, idque, quod ipsum natura docuerit, suæ prudentiæ ac arti cõmendare: nil verò in sua sapientia, sed omnia in naturæ solùm lumine inquirere, ac deinde hinc inuentam doctrinam in numerum thesaurorũ illius referre, illiusque custodiæ committere. Medicus sanè cum suis operibus oculis cõspicuus est, & natura quoque est manifesta, & neutiquam occulta: ita quoq; causæ sanitatis & morborum manifestæ ac perspicuæ, non occultæ esse debent. Idcirco primùm ignis fit mentio, quo occulta dissoluuntur, explicãtur, & conspicua redduntur. Ex hac inspectione nascitur medicinæ scientia. Ipsa enim est, quæ testimonium perhibet, hoc modo: Me-

dicus quum ex medicina sit medicus, & sine hac nihil, & hæc sit vetustior ipso, qui ex hac est, & non contrà hæc ex illo: cogitur profectò id obseruare, & in hac discere, quæ eius causa existat, & non ex seipso. Propterea in medicinæ natura, medici scientia, ars, theorica, practica, &c. sunt sitæ, & in ipso prorsus nihil. His satis superque responsum est errori, qui in natura non reperitur, sed duntaxat consuetudine & proprio arbitrio conseruatur & indicatur. In igni enim magister est, nō in ipso discipulo. Adhuc planiora hæc sunt: In homine nihil est, quod ipsū efficiat medicum: præclarum quidē habet ingenium, cui tamen nulla ars inest, sed vacuum est, nō aliter atque pulchrè confecta arca, aut aliquod inane receptaculum, quod aptum est ad recipiendum quiduis, vt thesaurum, quē nostræ colligunt manus: sic etiam illud præclarum ingenium est absque experientia, arte, & medica scientia. Quicquid verò discimus & probamus, illud eo retinemus, ac in vsum suo tēpore proferimus. Et quò hæc manifestius & facilius medicus intelligat, obseruet hæc duo exē-

pla,

pla, quorũ vnum hoc est: Vitriarius, qui conflat vitra, vnde habet suam artẽ: non profectò ex seipso, quia humanum ingenium eam nunquam per se potest assequi: verùm artis materias siue subiecta vbi in ignem coniecisset, naturæ lumen ipsi demonstrauit vitrum: quæ ars in hisce tribus conseruata est. Eodem modo res se habet in medico. Huic alterum sequens exemplum respõdet. Architectus domum extructurus, ex propio illud ingenio reperire, atque perficere poterit, si materiam & instrumenta habeat: sed nõ idem præstare potest medicus. Etiãsi enim habuerit medicamenta & infirmos, tamen si caruerit scientia & cognitione earum rerum, nihil valet. Si verò non modò ligna sed & securim, id est, & materiam simul & instrumenta habuerit, iam demũ medicus esse poterit. Vnde primò cogitur esse faber ferrarius, vt securim faciat, postea ingenium ipsi auxilio est in illis vtendis. Sic ingenij præstantia est cista & receptaculum medicinæ, eiusque scientiæ. Ex igni autem prouenit thesaurus, qui in eo reponetur & includetur. Quemadmodum ergo vi-

trorum conflator ſuam artem habet ex igne, qui prius ignorabat quid faceret, ſed poſtquam ignis ipſi artem demonſtraſſet, poſtea eam ingenio retinuit: ſic quoque ignis docet ſcientiam & artem medicinæ: Et hæc eſt vera medici proba. Illud tamen ſemper manet quoque verum, imperitos medicos, id eſt, qui non ſunt ex natura progeniti, nolle ſuũ præceptorem agnoſcere, ſed perſuadere ſibi propriam intelligentiam, & idola cõcepta, eſſe veram ſcientiam medicam, ac ſuæ artis fundamentum facere: quod dicitur, & reuera eſt, ſuper arenam ædificare. Quicquid ignis demonſtrat, hoc abſque ipſius opera nequit inueſtigari nec intelligi. Duplex enim eſt cognitio, alteram experientia diſcimus, alteram noſtro ingenio habemus. Prior iterũ duas in ſpecies diſtribuitur, altera eſt medici fundamẽtum & magiſter, altera autem eius eſt error & fallacia: quarum illam medicus ex igni deſumit & diſcit, dum Vulcanias exercet artes, rranſmutando, figendo, exaltando, reducendo, perficiẽdo, aliisque cognatis, quę ad hæc pertinent. Hac experientia inueniuntur tres

ſub-

ſubſtantiæ, cuius ſint naturæ, facultatis, proprietatis ac conditionis, per totum mundum in omnibus creaturis. Altera, ſiue poſterior eſt, qua fortè fortuna, abſque prædicta experientia res aliqua ſuccedit ſemel atque iterũ, & non conſtanter, exiſtimatur tamen conſtans & perpetua, & talis experientia, cui fides ſit habenda, & in quam fundamentũ extruẽdi ſit iaciendum. Huiuſmodi profectò ſtructura caret omni fundamento, cui innititur error, & ornatur obducituráq; fragilibus & fictis ſophiſmatis. Quòd ſi talis aliquis ſecum perpẽderet, vnde experimẽtum oriretur, & inquireret quis ipſi dediſſet: inueniret certũ hominẽ, & qui antea ab alio accepiſſet, & hic rurſus ab alio: hoc modo regrediendo, tandem reperiret Vulcanum, & Spagyrum, à quibus omnia experimenta ducunt ſuã originem. Sciendum itaque nos talia audiendo & legendo nõ reddi doctos in medicina: ſed ſicut primus didicit, ita & nos diſcemus: qui illũ docuit, doceat & nos: natura in Vulcano ſit noſter præceptor. Si enim quis dicat: Fac hoc, & ſaluus eris: neceſſariò requiritur nouiſſe, quiſnã

illud dixerit: sic peruenit ad eũ, qui ipsa exiſtit ſalus. Eodem modo & hîc, niſi ingrediamur in ipſam medicinã, hoc eſt, naturam, nunquam efficiemur medici. Si enim fundamẽtũ voluero firmũ iacere, oportebit illud deſumere nõ ab inuiſibilibus rebus, ſed à certis atque cõſpicuis dictis atq; rationibus. Nã illud medicus diligentiſſimè ſemper perpẽdet, nos ita Deũ habuiſſe aſpectabilẽ, & tactu ſenſibilẽ, vt noſtrũ redẽptorẽ veritatis fundamentum ipſimet audiuerimus. Multo verò manifeſtius medicina noſtris ſubijcitur oculis, quam videndo, & non ſomnijs, tactu, non vmbris percipere cõuenit. Totum verò illud inuiſibile atq; inſenſibile eſſe, propoſitum atque aſſertum eſt ab ijs, qui oculos ignis nõ habuerunt. Vnde natus eſt error, ex quo medicina iſta omni fundamento carens conſtituta eſt. Difficile creditu eſt, quatuor in homine eſſe humores cum ſuis indicijs & accidentibus. In ſola fide iſta ſunt poſita. Medicina autẽ cõſiſtere nõ debet in fide, ſed euidenti conſpectu. Nihil ſola fide confirmatur, præter animorum infirmitatem & ſalutẽ: omnis verò medicina

dicina est aspectabilis, absque omni fide. In hisce reb⁹ persimilis est error falsæ fidei aut religionis, vbi nõ omnis qui dicit, domine, domine exauditur. Hoc est, quum non sis medicus, & nihilominus medecinam profiteris, experimentum quoties arripis, inquis, Fac hoc, fac illud, sed ipsa non facit, quia te non agnoscit, nec harum ouium verus es pastor. Iterũ respondet, Non noui te: infirmos oportet medicum habere, & eum agnoscere: quia ipsis creatus est. Qua de causa is demum solus est medicus, qui legitimè vocatur, cui ex terra crescit medicina, quæ ipsum nouit, & potestatem habet ipsum constituendi & abdicãdi. Totius itaque medicinæ fundamentum & caput est, vt has tres substantias cognoscamus & experientia comprobemus, idque non ex nostro cerebro, aut aliorum relatu, verùm experientia, naturæ dissolutione atque examine, taliumq; specificarũ proprietatum & formarũ scrutatione. Homo enim docetur à maiori mundo, & non ex homine. Atque hæc est concordantia, quæ medicum perficit, dum hãc totam vniuersitatem nouit, & ex ea ho-

minem: quæ simul sunt, vna tantùm res, non duæ, quod experientia latius comprobandum relinquo.

Caput II.

TRes sunt substantiæ, quæ vnicuiq; rei corpus suum tribuunt: hoc est, vnumquodque corpus tribus in rebus consistit, quarum nomina sunt hæc, Sulphur, Mercurius & Sal. Hæc tria vbi composita fuerint, corpus notatur, nihilque ipsis additur, prçter vitam & accidẽtia. Sic corpus aliquod manibus arripiens, tres inuisibiliter habes substantias sub vna specie & existentia. De his itaque tribus dicendum est: quandoquidem hæ tres sunt substãtiæ vnius formç, quæ tribuunt & efficiunt omnem sanitatem. Nam manibus cùm tenes lignũ, oculis tuis apparet vnũ esse corpus. Sed hçc noticia nihil tibi prodest: & rustici idem norunt. Te verò eousque oportet inuestigando progredi, donec scias certò, te manibus continere Sulphur, Mercurium, & Sal. Hæc tria vbi habueris aspectabilia, tactilia & efficacia, singula à se inuicem separata, tum demum oculos habes, quibus medicus cernere debet

bet. Hi oculi tui non minus euidenter & perſpicuè debent videre tres illas ſubſtantias, atque ruſtici lignum integrum. Hoc itaq; tibi exemplum ſit, hominem quoque tibi cognoſcendum eſſe eodem modo in illis tribus conſiſtere, quo lignum: hoc eſt, hominem eadem ratione habes conſtitutum: ſi amplectaris os eius, rude habes & ruſticũ: ſi verò ipſius Sulphur, Mercurium & Sal ſeorſim habueris, tum demum nouiſti quid ſit os, ipſíque malè affecto quid deſit, quo modo afficiatur, & quibus ex cauſis, quaue ratione doleat. Sic externa ruſticis inſpicienda ſunt creata: interiora verò, & occulta medico. Si ergo hæc aſpectabilia fieri oporteat, & ſine manifeſta inſpectione iſtorum medicus imperfectus exiſtat, neceſſariò natura eò deducetur, vt ſeipſam conſpiciendam proponat atque demonſtret. Conſiderate igitur in quam vltimam materiam res reducantur & diſſoluãtur, & quãtuplicem: in totidem quoque genera triplicem illam ſubſtantiam reperietis inter ſe mutuo diſtinctam. Hæc ruſticus nihili facit, per magni verò medicus: experimentator

quoque negligit, medicus autem diligẽter obſeruat: Erro quoq; ſiue impoſtor nihili æſtimat, maximi verò medicus. Imprimis enim cogitur medicus ſcire illas tres ſubſtantias, omnesque earum proprietates in maiori mundo: deinde callet eas etiã in homine, nouitque quid in ipſius ſit manu, quidue efficere poſſit. Ad hæc itaque probanda atq; experiunda, à ligno ſumas initium. Id quidẽ corpus eſt: quod incendas. Quicquid ex eo ardet, illud eſt Sulphur: quicquid in fumum trãſit, Mercurius exiſtit: quicquid verò in cinerem redigitur, Sal eſt. Talis conflagratio ruſtico quidem intellectum confundit & perturbat, medico autẽ oculos incipit medicos aperire. Sic hi tres illic reperiunt res, non plures, nec pauciores, easque ſingulas à ſe mutuo ſeparatas. De his porrò tribus amplius eſt notandum, omnes quidem res hæc tria habere, quę licet non vno eodẽque modo ſtatim oculis exibeant, tamẽ ars ea patefacit, quæ illa in lucem producit & aſpectabilia reddit. Quicquid ardet, Sulphur eſt, & nihil flammam concipit, præter Sulphur: quicquid in fumũ tranſit,

trãsit, Mercurius est, & nihil se sublimat siue ascendit prẽter Mercuriũ: quicquid in cinerem redigitur, Sal existit, nihilque præter Sal potest fieri cinis. Res sanè illa quę transit in cinerem, substãtia est, eaq; est pars ex qua lignum fit. Et quãuis vltima sit materia, & non prima: tamen ostendit primam materiam earum, quarum vltima extitit in viuo corpore. Quãuis in viuo corpore nemo quicquam videat præter rusticum aspectum, tamen *substantiam* ipsam demonstrat *separatio*. (Non loquor hîc de prima materia, quòd nolim hîc philosophiam tractare, sed medicinam.) Eodem modo, quo de Sale dictum est, obseruabitis fumum declarare Mercurium, qui ignis vi ascẽdit, ac seipsum sublimat. Et hîc, quamuis materia prima non cadat sub aspectum, tamen aspectabilis est primę materia vltima, ita vt Mercurius agnoscatur altera rei substantia. Sic quoque omne ardens, & igneum oculis apparens, sulphur est, seipsum consumens, quod ipsum est volatile. Sic ergo ignitum illud substantia quoque existit, estque tertiũ eorum quę corpus perficiunt. Ex his theorica sumi

poteſt,quid Sulphur,quid Mercurius,& quid Sal ſit:quid in ligno alijsque rebus inſit:& ſic eadem microcoſmo poſſunt cõparari Hinc de homine intelligis,corpus eius nihil aliud eſſe, quàm Sulphur, Mercurium & Sal:in his tribus conſiſtit illius ſanitas,illius ægritudo,& omnia illius accidentia. Et quemadmodum illa ſolùm tria in homine exiſtũt, ita eadem quoque omnium morborũ ſunt cauſæ, non quatuor humores, qualitates, aut ſimilia. Non omnia quidem concipiunt flammam, veluti lapides: nihilominus tamen Alchimía demonſtrat, iſta conflagrationi apta fieri, etiam ipſa metalla,aliaque omnia,quæ vulgò æſtimãtur ardere non poſſe. Et quamuis multa aſcendendo non ſublimentur:attamẽ ars declarat, ea in ſublimationem deduci. conſimili modo hæc omnia intelligenda ſunt de Sale. Nam quicquid ruſticorum oculis non ſubijcitur,illud in arte ſitum eſt, vt oculis ſpectandum proponatur,quæ eſt ſeparationis ſcientia. Harum rerum cognitionem ars prædicta præbet,oſtenditque ita ſeſe habere in omnibus rebus. Iam verò quod ad proprias

prias istorum trium naturas, virtutes atque essentias attinet, similiter statuendum est, proprietatem propositam aut esse in Mercurio, aut Sale, aut Sulphure, siue bona sint, siue mala, salubria seu insalubria. Vnaquæque enim substantia suam habet proprietatem. Si verò tria hæc coeant in vnum corpus, proprietates quoque sub vna simul forma apparent: resoluendæ verò sunt singulæ & diuidendæ in suam substantiam, & non in communem. Proprietates enim illæ sunt bonæ, & simulatque nō adsunt, statim adest morbus. Iam nosti quid substātiæ desit aut decedat. Nam vnius decessus est alterius appositio. Et quot sunt morbi, tot sūt proprietates: & quot sunt proprietates, tantus est numerus morborum. Ad huiusmodi formarum proprietates tradēdas & explicādas, pertinebat & primam mundi materiam declarare. Cæterùm istā cùm constet fuisse Fiat, quis audebit illud Fiat explicare? Interim verò nos aliquid ignis Vulcani beneficio habemus, quo ista tria declaremus: nempe Sulphur cōmuni sulphure propter similitudinis comparationē,

Mercurium argento viuo vulgari, ob eandem similitudinē, Sal item natiuo atque cōsueto sale, quòd similes quoque producat effectus. Quamuis verò hæc cumprimis de maiori dicta sint mundo, tamen & eodem modo sese habent in minori: eo tātum excepto, quòd homo suam primam materiam habeat in limbo, qui Sulphur, Mercurius & Sal fuit, estque quatuor elementorum complexio & cōpositio in vnū hominem. Qua de causa nouerit medicus, omnes morbos cōsistere in illis tribus substātijs, nō in quatuor elemētis. Elemēta quas habeant vires, & quid sint, ad medicinam per causas cognoscendā non pertinent: quantum verò ad humores attinet, sunt matrices. Quo autē modo matrices sint, suo loco & capite docebitur. Ergo istas tres res solas medicus scire debet, cùm in ijs consistat causa & origo omnium morborum. Quandoquidem itaque humores istas in viuis corporibus non videt, sed solùm in illorum dissolutione & interitu, memor trium istarum intereuntiū esse debet, quàm pulchrè sese & excellēter habeāt in hominibus, Sulphur,

phur, Mercurius & Sal, dum viuunt ac valent. Rursus quoad hæc viuunt, nõ ægrotant homines, sed solùm quando dissoluuntur: quare meritò dissolutionis curam habebimus. Inspicite carbunculum gemmam, qui est pulcher & nitidus, virtutisque admirandæ: attamen nihil aliud est, quàm Sulphur, Mercurius & Sal, ex quibus cum compositũ esse probat ipsa dissolutio: deformisque res est, vita destitutus vbi fuerit. Ascribas ergo vitæ illud impedimentum, quod tibi obstat, quo minꝰ ista tria videas. Hęc enim est illorum trium velamen & integumentum, abscondens illa. Sic inspice quoque hominem viuum, quàm pulcher sit, vbi verò moritur, quàm sit turpis: vel eius aliquod membrum si moriatur, quàm illud euidenter, rationique ac sensibus manifestè redeat in istas tres substantias. Quod est in mortuo siue cadauere, idem quoque est in viuo, sed pictum & ornatum. Eodem modo & cedrus, viua quidem est pulchra: vbi verò in ignem proiecta fuerit, prodeunt in lucem illa, quæ vita occultarat: quod similiter in omnibus alijs rebus contingit.

Hæc omnia, quæ multis rationibus probari possunt, solummodò propter existētem in ipsis originem causasque, vnde omnes morbi nascuntur, rectè considerari atque intelligi velim. Quandocunque enim hæc tria inter se consentiunt, & non disiuncta sunt, sanitas rectè se habet: vbi autem dissoluũtur, hoc est separantur, aliud cadit, aliud ardet, tertium alia via discedit: huiusmodi dissolutiones sunt morborum principia. Donec enim corpus permanet cõcors, nullus morbus sentitur: sin minus, sed discordia incipit diuidi, ibi incipit medici cõsideratio, & ars. Vt si viri numero viginti fœdere cõiuncti, quos noueris singulos, discordia separentur: inquis, hoc modo fœdus ruptum est, & illi disiuncti sunt: quod quidē percipis ex ipsis. Quēadmodum ex ipsis didicisti, sic oportet & omnes reliquas res cognoscere, & in ipsarum dissolutione discere, quid ruptum aut dissolutum sit. Vbicumq; hoc non fit, quid ibi aliud esse potest, quàm mortis principium, hoc est interitus regni totius? Quò autem intelligas conclusionem huius capitis & fundamentum:

tum propositionis eius,scias nihil aliud in eo tractari,quàm Sulphur, Mercuriũ & Sal:hæc esse tres illas substantias,vita quidem occultas,eius verò recessu in lucem prodeuntes.Hinc genera & species colliges,hoc modo,vt omnes iam morbos esse nominatos teneas,& si morbus vnus aut alter accidat, dicas: hic morbus est,& hæc eius est causa efficiens.Nõ aliter atque exemplum de amicitiæ fœdere, quod multi sanciuerunt, docet, quod dum violatur ac dissoluitur,dicis: hic aut illi ruperunt, hac vel illa de causa.Non ais,Cholera,Melancholia,Phlegma,&c. effecit, verùm ille vir,inquis,fecit.Eodẽ planè modo & de morbis intelligas.Plus enim & rectius est dicere, hic fecit,quàm si dicamus cholera fecit. Nõ minus itaq; morbus omnibus sui partibus viro est comparandus.Hoc obseruate,ô medici.Hoc fundamentum est,& in hoc cardo negocij vertitur, quòd morbus dicatur vir, cum omnibus propríjs viri accidentibus. Quia hoc modo complecteris elementa,tres illas sustantias,quatuor astra, quatuor terras, quatuor aquas,quatuor ignes, quatuor ac-

res,& omnes conditiones, mores, proprietates & naturas viri, sine quib⁹ nullus vnquam exiſtit. Quorum tu oblitus es eo in loco, vbi deſcribis morborum cauſas & origines duci ex quatuor humoribus, qui ſanè cum elementis, vel quatuor, vel tribus, nihil vnquam commercij habuerunt. Sic itaque dicendum eſt, omnes viriles proprietates & naturas in morbo reperiri, eumque virū appellari: qui ſicut natus eſt ex perfecto limbo, ſic etiam morbus.

Caput III.

QVum itaque morbi hoc modo gignantur, ac viriles intelligendi ſint: opus fuerit ea aliquanto latius explicare, hoc modo. Sulphur eſt humor, Mercurius eſt humor, Sal eſt humor. Hi itaque ſunt tres. Qui tamen tres humores ſunt corpora. Corpus hîc eſt humor, non res aduētitia: corpus ipſum eſt illud, quod medicus ſibi habebit pro poſitum. Et quāuis dicere poſſes, humores eſſe cauſas morborum, haud tamen ita eſt. Humor non efficit morbum, ſed quod morbum gignit, eſt aliud, videlicet

cet ſubſtãtiæ ens. Quicquid porrò morbum generat, illud neceſſariò eſt virile, hoc eſt, aſtrale ex toto limbo: cùm tamẽ humor, vt vulgo æſtimatur, nihil ex aſtris in ſe habeat, quare nec morbũ producere poteſt. Iure itaque morbus dicẽdus eſt maſculinus, propter virilem, quę eius cauſa eſt, naturam. Vnde obſeruetis, quæ ſint illæ tres morborum cauſæ, quibuſque nominibus appellentur. Prima eſt *Sulphur*, cuius uires conſiderate, *quod* nunquam ſua natura quicquam mali efficiant, niſi ſit aſtrale, hoc eſt in ignis fauilla ipſi inñciatur. Tũc enim virilem induit naturam, concipiturque à ſcintillis. Ardẽt itaque ſolummodo maſculina, viriliſque efficaciæ: abſque hac efficacia nihil agitur. Quoties ergo morbus à Sulphure efficitur, primò Sulphur nominabitur ſuo proprio nomine: dein de verò virilis ipſius operatio, quæ ipſũ incendit. Sulphuris multa ſunt genera, vt reſina, gummi, botin, oleum, axungia, pinguedo, butyrum & vinum ardens. Aliud enim eſt Sulphur ligni, aliud bruti, aliud hominis, aliud metallorum, vt oleum auri, Lunæ, Martis, &c. aliud lapi-

dum,vt liquor marmoris, aliud alabraſtri,&c.Nonnulla ſunt ſeminum & aliarum rerum ſuis quæque propriſs nominibus ſignata. Cùm itaque ignis illi accidit, qui ſolus proprio nomine aſtrum eſt,iam hæc operatio eſt materia peccãs ex vna parte.Eodem modo & natura Salis intelligenda eſt, quod per ſe eſt humor materialis,nec morbum gignit abſque præſentia aſtri ſui,quod eſt reſolutio,quæ facit ipſum virile.Qua de cauſa Sal reſolutum nõ minus, atque ſpiritus vitrioli,tartari, aluminis,nitri, & ſimiliũ ſe vehemens ac turbulentum oſtendit. Vnde quæſo humoribus, abſq; aſtro talis natura,cuius nemo medicorum meminit,ineſſet? Quòd ſi nulla alia re in medicina ſua tradẽda peccaſſent,quàm aſtri huius in omnibus curis & cauſis omiſſione, ſatis ſuperq́; probatum eſſet, ipſos ſtructuram ſuam erexiſſe in luto aut arena. Ad hæc conſideretis, multa eſſe genera ſalis.Aliud enim eſt calcis, aliud cineris,aliud antimonij, aliud arſenici,aliud magnetis,ac eius generis ſimiliũm:quæ omnia oriũtur & fiunt, prout corpus ſalis fuerit in certo aliquo morbo,

bo, vnde & peculiare nomen atque proprietatem sortitur. Consimili modo & Mercurius se habet, qui solus per se non est virilis, sublimatur astro Sole, alioqui non ascendit. Multæ quidem eius sunt præparationes, sed vnum tantùm corpus. Corpus autem illud non est vt Sulphur, aut Sal, quæ multiplicia habēt corpora, vnde multa quoque genera Salis & Sulphuris reddunt: hîc verò solùm vnicum est corpus, quod astro multis & varijs modis præparatur, vnde & varij ex ipso morbi proueniunt. Qua de causa etiam virilis eius natura ex astro est, quod ipsi morbos infert. Hac ratione omnes morbi istis tribus continentur sub certis nominibus & titulis. Quapropter noueris, in Sulphur esse redigendum, quicquid sulphureum est, vt flammam possit cōcipere: & quicquid Mercurius est, in sublimationem deducetur, quicquid ad sublimandum aptum est. Quicquid porrò Salis, illud quantum est, totum in Salem redigitur. Hoc itaque modo hîc comprehenduntur generales morborū causæ, vt prædictum est. Constat ergo verissimum esse, quod antea diximus, ho-

minem compositum esse ex istis tribus prædictis,& quòd ista tria habeant medium corpus, quod est viuens. Ante hãc enim vitam est prima materia, sed post eandem vitam est vltima materia: hæc verò est medium inter primũ & postremum, estque cuius causa medicus & medicina sunt creata.

Hoc verò medium corpus, licet summum quasi caput sit, non tamẽ est subiectum, sed solæ tres illæ substantiæ, remota vitæ essentia, proprietate atq; natura, cui nos nihil habemus addere, neque mutare. Quod verò nostrum subiectum est, trifariam seipsum dissoluit: Primò per seipsum: quod cùm fit, vita seipsum priuat. Vita enim est quasi pax. Vbi pax, ibi concordia. Simulatque verò cõcordia dissoluitur, statim quoq; pax deficit, & sic quoque vita. Quod si tria illa nolint indiuisa atque inter se consentiẽtia manere, vita migrat, ac subiectum illud relinquit mortuum atque diuisum. Secũdò fit, quoties temere dissoluimus in ipsa natiuitate, vel extrahendo, vel alia nostra violentia, qua cõtra nos astra prouocamus & concitamus, non secus

atq;

atque ciuitas aliqua ſuum dominum in ſui ipſius pernicièm commouet. Tertiò, licet per ſe nec rumpatur, nec partes eius ſeparentur, ſed concordes maneant, nec nos cauſas externas præbeamus: modus tamen tertius inuadit, qui eſt finis ſiue terminus: ita vt omnia, quã tumuis bona, robuſta, & pulchra ſint, certo tandem fine terminentur. Sic homo quoque fini commiſſus eſt, & numerus annorum vitæ ipſius breuis eſt. Occurrit & illa quæſtio hîc conſideranda, cur tres ſint res, & non vna, & cur adeo multę ac variæ in ipſis ſint ſpecies, vt numerari nequeãt, ipſæque ſpecies eiuſdẽ generis tantùm à ſe mutuo differant, vt reſina Rhetica non ſit eiuſdem naturæ cum reſina Norica, nec oleum amygdalorum Neapolitanicum, ſimile oleo amydalorum ad Cumanum lacum, & ſic in montibus aliud atque in plano: quæ hoc loco non deſcribam. Cauſa verò, quòd tam intricatæ atque multiplices ſint iſtæ res, hęc eſt: Chriſtꝰ inquit, Math. 12. Omne regnum in ſe diuiſum deſolatur, hoc eſt, Omne temporaneum regnũ ſeipſum diuidit: ſolum Chriſti regnum

permanet, nec temporaneum est. Ergo & corpus non est æternum, sed mortale & caducum. Cùm ergo temporaneum sit, necessariò interibit. Siquidem verò ipsi intereūdum sit, in propriis eius mēbris oportet bella intestina moueri, ipsumque occidere & suffocare, idque varijs modis. Nā inscrutabiles post tria prima sunt species & causæ morborum. Atque hoc est fundamentum & origo morborum, non quatuor humores. Eodem modo multiplex quoque est medicina, vnde & variæ dissolutiones facilè nascuntur, & ipsa etiam medicina mortalis est, & cum homine minuitur ac augetur. Nā illi sunt anni Platonis, quibus omnes eæ res sese declarant: quorū Arnoldus nonnihil meminit, quasi eos intelligeret, sed nimis tamen cito à fundamēto rursus excidit. Quisquis autē capita destructionis regni nouerit, is iā idone⁹ est ad introitū cognitionis mei iam demōstrati fundamēti. Ad conclusionē itaq; nostri fundamēti de omniū morborum cognitione sequentur tres libri, ad triplicem corporis viui dissolutionē, in quibus declarātur morbi, qui ex propria

pria trium disiunctione, ex nobis, & ex fine eueniunt. Eodem per omnia modo, si medicus cupiat scire hominis naturã, eumque cum omnibus morbis suis cognoscere, oportet ipsum primò scire omnium rerum morbos, quos natura in maiori mundo patitur. Ea enim de causa ipsos perpetitur, vt nos videamus, in hoc rerum genere hunc morbum, in illo verò alium, in homine verò omnes. Nam ex limbo cùm sit factus, ea procul dubio de causa ex ipso factus est, ipsius vt bona & mala quoque haberet. Quapropter medium constitutum est à Deo duorum non sequendorum eo modo atque ordine, sicut propositum est ab initio. Quum itaque sint externa, medicus ea extrinsecè discere debet, & concordãtiam sumere morborũ in præparatione & diuisione visibilium rerum, & huiusmodi corpora externè reducere in vltimam materiam arte Spagyrica: tum inueniet quænam substantia morbi sit causa. Hæc omnia si rectè coniunxerit, præditus erit omnium morborum cognitione. Si verò in sua tantùm regione peritus fuerit, exteris prodesse non

poterit. Medicus enim dumtaxat est in notis,& non in ignotis. Quare ne patiatur se seduci ab Arabib⁹,Africanis,Chaldæis,aut alijs Barbaris, nec hi vicissim à nobis:vnusquisq; tantùm alteri credat, quantum ipse in igne expertus fuerit. Medicina enim non permittit credere, quod igni nõ probatum fuerit: per ignẽ crescit medicus,veluti dictum est.Discite itaque Alchimiam,quæ aliâs Spagirica vocatur:hæc docet falsa à veris discernere.Hoc enim est lumen nturæ,vbique probationes cernere, ac in lumine ambulare.In tali naturæ lumine loquemur ac dicemus nostra, non ex phantasia, in qua nihil prouenit præter quatuor humores,eorumque compositio, augmẽtum, status & decrementum, aliæque similes & inuisibiles nugæ, nequaquam ex præclaro ingenio,quod bonis impletum est thesauris, prodeuntes, sed ex ficto & non probato fundamento.

Caput IIII.

MAgnus prẹterea error de complexionibus,medicorum animos inuasit,qui dicũt: Homo ille est sangui-

guineus,aut cholericus, aut phlegmaticus,aut melancholicus: cùm tamen nihil horum ſit,vt multis rationibus probari poteſt. Quarum vna & generalis eſt hæc,quòd vita tribuat res illas, quæ vocantur complexiones. Quandoquidem itaque vita illas tribuit, & non tres illæ ſubſtantiæ: medico non proponentur conſiderādæ.Nam ipſa vita, & quicquid ipſi adhæret & cognatū eſt,medico minimè ſunt ſubiecta. Vnde etiamſi complexiones exiſterent tales, tamen medico minimè venirent conſiderāde.Quicquid enim vnà cum vita recedit, id medico nequaquam Theoricæ ſuæ loco eſt proponendum.Hoc medicus diligenter ſecū perpendat.Siquidem error eſt non modò in ſanis,verumetiam in ægris corporibus. Aſcribunt enim morbo, quod etiam in ſanis corporibus ineſſe arbitrātur.Sed & aliæ plures cauſæ ſunt, quòd natura corporis integri non ferat, huiuſmodi quatuor complexiones homini ineſſe, cùm ſit ſpecies. Nulli quippe ſpeciei ineſt complexio, ſed natura propriæ ſubſtantiæ. Natura verò eſt complexio. Quod dico,illud eſſe calidum, id il-

lius non est complexio, sed natura habet ex sua substantia, tanquam colores. Hæc non pertinent ad ægritudinem & sanitatem. Oportet rem esse frigidã aut calidam, &c. in sua natura, quod nihil ad viuum corpus attinet, separatque se ab infirmis & mortuis. Ad hæc, quòd dicãt, mores, gestus, ingenium, consuetudines, naturam & vsum esse ex cõplexionibus, id falsum est. Ex astro enim, nõ cõplexione proueniunt. Fel non concitat iram, sed Mars. Vnde sequitur, fellis vesicam redundare, non secus ac stomachum alimento externo nimis impletum, sic Mars vesicam fellis efficit redundare. Istiusmodi rerum causas scire est Astronomi, non medici, quarum tamen illi nunquam meminerunt. Facilè igitur incidit in errorem, qui sua principia, propriamque artem non perfectè nouerit. Hinc scitote, non existimandum vobis esse, cõplexiones medico esse subiectas, aut materiam, causamúe morborum. Quia res tales asscribuntur vitę, nõ physico corpori.

Quòd autem calidus aut frigidus, humidus aut siccus sit morbus, ne illud com-

plexionem dixeris. Sunt enim conditiones, non complexiones. Complexio cõsistit in duobus, calore videlicet, & humiditate, vel calore & siccitate. Sic quoque frigidum & humidum, aut frigidũ & siccum accedit ad elemẽti naturam, quæ hîc non est spectanda. Similes quoque conditiones morborum sunt calidum, aut frigidum, absq; humiditate & siccitate. Cuiusmodi morbi sic cõsistũt, vt hic calidus sit, & nihil præter ea: ille verò humidus, & nihil aliud: ita vt in vna qualitate consistat conditio, nõ duabus. Dico maniam esse calorem absque humido & sicco. Hydropisim verò esse humiditatem, quæ habeat neque calorem neque frigus: eademque ratio est & reliquorum morborum. Diligẽter & hoc in medicina obseruandum est, secũdum gradum, id est, duplicem complexionẽ, non esse accipiendum, sed omnia respiciunt vnicam suam conditionem, hoc est, calidam, siccam, humidam, vel frigidam. Quia in morbis non conueniunt simul, sed singula separatim consistunt. Cum res duæ sunt coniunctæ, siue cùm res duplex est, ad vitam pertinet, non ad

medicum. Vt res si pulchrè ornata fuerit, eleganterque coloribus tincta, quid hoc ad medicum? nihil. Sic quoque nihil ad ipsum pertinent complexiones: naturæ sunt vestitus & ornatus medico non considerandæ. Si verò scire cupias, calorem solum, frigus solum, humiditatem solam, siccitatem item solam consistere: inspicias illud quod solum consistit & simplex est. Id sanè vita caret, & ab ea se separat, propterea quoque morbus adest. Similiter corpora *incendun*tur ab astris, quæ alioqui non ægrotarēt: astra fiunt ipsorum bella intestina. Ergo corpus iam incensum, vnum sibi sumit, non duo, conjicitque vel in calorem, vel in frigus, vel in humiditatem, vel in siccitatem: ac illud in quo transit, medico est considerandum. Quod vt intellectu facilius ac planius sit, tali exemplo declarabo. Quidam alteri vulnus infligit, aut ictu tuber efficit, aut crus amputat, aut aliquid simile. Ictus ille per se nec est calidus, nec frigidus, nec humidus, nec siccus, sed solum ictus est. Eodem modo animaduertite, omnes morbos initio eodē modo sese habere, & gigni. Si itaq;

hoc

hoc modo in corpore ſeſe habeãt, quid aliud ſunt, quàm vulnus, vbi nec calor, nec frigus, nec humiditas, nec ſiccitas ſpectatur? Vera itaque ars conſiſtit in incarnatiuis: quæ incarnatiua ſiue ſint calida, ſiue frigida, ſiue humida, ſiue ſicca, nihil tibi ſit curæ: ſi modò incarnatiua ſint, tibi ſufficiat, aliaq; omittas. Et quãuis vulnera nonnunquam efficiantur calore & febri, tamen iſtiuſmodi res non ſunt morbi. Tu tibi morbum proponas conſiderandum, qui nec reſtinctionem, nec refrigerationem requirit. Hæc enim produnt tuam impoſturam atque errorem, & te non eſſe inſtructum incarnatiuis, vt debebas: Eadem via progrediendum eſt in hydrope: ea videlicet ægro exhibeas, quæ ſal reſolutum pellant, nec ſpectes calidum aut frigidum, quia in iſtis medicina non eſt ſita. Quemadmodo colocynthis purgat abſque reſpectu cõplexionis, & conſimili quoque ratione turbith, quam vim à complexione non habent, ſed à virili natura: ita quoque omnes rerũ virtutes ſunt arcana, vt ſuos morbos eo modo ſanent, quo facti ſunt. Sine complexione fiũt, ſine complexio-

ne etiam curantur. Hoc omnes obſer-
uate: Cum natura veniunt, cum eadem
etiam abeunt. Quòd verò ignis ex-
tinguatur aqua, non fit frigore, ſed hu-
miditate. Similiter quod ignis calefa-
ciat, id non euenit ratione ſiccitatis, ve-
rùm caliditatis. Sic vnicum & ſimplex
permanet illud, quod morbū regit: nec
tamen eſt natura peccans, ſed quaſi co-
lor, qui nihil corpori tribuit, nec ab eo
quicquam aufert. morbus ſe habet, non
ſecus ac gladius, ſecans abſque omni
complexione. Aliquando contingit, vt
ſulphur incendatur ac ardeat, veluti in
perſico igne. Quæ eſt eius medicina? Ex-
tinguere ipſum, tanquam ignem. Cùm
verò camphora alijſque ſimilibus cura
fieri ſoleat, euentus inconſtans expectā-
dus eſt. Hîc præcipuum fundamentum
eſt, conſiderare quidnam extinguat in-
uiſibilem ignem. Quia extinguere eſt ve
rum ipſius fundamentum: refrigerare
autem ipſius venenum: repulſionem a-
lia ſequūtur mala. Hoc modo nos agere
Deus non vult, ſed incumbere perfectæ
medicinæ recto ordine diſpoſitæ. Quem
admodum oculi noſtri teſtātur de aqua
&

& igni, ita quoque aperientur in arte, vt & medicè & rusticè cernamus id, quod rustic⁹ manifestè videt. Huiusmodi fundamento cogimur curã incipere. Quare merito à complexionibus & quatuor humoribus recedemus ac deficiemus: quæ hîc non sunt obseruanda, vt factum est ab ijs, qui medicinam in errores trãstulerunt.

Verùm illud quidem est, omnẽ morbum aut esse calidum, aut frigidũ. quid enim caret calore? Sic nihil absque alterutro dictorum, quæ tamen nihil aliud sunt, quàm signum & conditio morbi, non ipse morbus. Quisquis autem signa putat esse materiã, errat. Quid est quòd frõs ardeat, totumque caput, & vniuersum corpus caleat, vrina rubeat, pulsus sit celer, hepar sitibundum, aliaque simi lia? Hæc morbum indicant, non sunt ma teria, sed multùm differunt à materia: Fallunt homines adulterando morbos: vt fit in cholica ex cõstipatione. Perpendas tecum, quanta illic accidant tormina, calores, cõtracturæ, sitis, scabies, aliaque eius generis plura? quæ omnia te nõ perturbent: Constipationem soluas, &

omnia prædicta sponte discedent. Cogites, quæ, & quot symptomata sint calculi? quæ tollere si velis, auferes cultro vnà cum lapide, absque calore & frigore, sine omni complexione & humore. Hoc fit vobis non solùm in morbis, verùm omnibus rebus exemplum: cultet est calculi arcanum: sic videte, quomodo & reliqua debeant esse arcana. Hoc est, quicumque vult calidis aduersus frigida, humidis aduersus sicca &c. vti, non intelligit morborum originem & fundamentum. Siquidem in mania videtis nihil ipsam curare, præter venæ sectionem, quæ eius existit arcanum, nõ camphora, non nenuphar, non saluia, nõ maiorana, non clysteria, non infrigidantia, non quid pro quo, sed phlebotomia. Si hæc ita se habeãt in mania: vna & eadem erit ratio in alijs omnibus morbis, quorum singula habent sua arcana. Cuiusmodi quædam quoque dicenda sunt de sanis hominibus. Quoties dicimus hominem esse melancholicum, perperã loquimur. Nam lumen naturæ nescit quid melãcholia sit. Si autem dixeris est moribus & gestu Saturnin⁹, aut Lunaticus,

eus, bene loqueris: Quia morũ noſtrorũ & geſtuum proprietates & conditiones informantur à ſtellis, quibus melancholia non ſubĳcitur. Quare ſi ipſa non ſit aſtrorum, nõ debet quoque proponi in medicina tanquam columna ſuſtentãs fundamentum profeſſionis. Si habeat ſuam ſedem in liene, Saturni erit lien, eumque Saturnus gubernabit, & Saturnus vnâ cum liene tribuent melancholiæ morbos lienis. Ipſi autem nihil dicũt de liene nec Saturno, ſed de melancholia. Quartana etiam febris à Saturno genita & fabricata eſt, ſequiturq; eius impreſſionẽ. Vbi ergo manet melãcholia? Vnde ſequitur, humorem errore conſtitutum eſſe, ac reuera nihil exiſtere. Loquuntur etiam de phlegmate cerebri multo abſurdius, de quo craſſo errore, non opus eſt, vt quicquam hoc loco dicamus: Sic quoque de cholera & ſanguine. Vbi autem relinquuntur pulmo, ren, ſtomachus, aliæq; partes, præſertim cor? Humores cùm vellent inſtituere, cordi vtique præ reliquis vnum deberent aſſcribere, ſimiliterque pulmoni, hepati, renibus, aliĳſque membris. Nam vnum-

quodque corporis membrum habet ſuum humorem, non tamen ſimilem vlli ex quatuor, verùm pro membrorũ conſtitutione & effectu ſingula poſſident proprios, ſuaque munera obeunt, alterius non habent curam. Lien facit ſuum officium, renes ſuum, pulmo ſuum, receptaculum cholerę ſuum, locus phlegmatis ſuũ, ſimiliter & melancholia. Abſit longè à nobis, vt diuidamus corpus in quatuor columnas humorum, tãquã quatuor elementa. Verùm eſt, quatuor elementa eſſe. Quid autem elementum ſit, ſi quis velit ſcire, animaduertet elementum eſſe matrem ſui fructus. Sic terra eſt mater ſui fructus, veluti manifeſtiſſimè patet: qui fructus nec frigiditatẽ, nec caliditatem terræ curat, quæ etiam per ſe nihil exiſtunt, ſed neceſſariò illuc conuenient omnia quatuor elementa. Ita quoque intelligendum eſt de aqua, aere & igne. Veſtro autem exindicandi atque explicandi modo apparet, vos nũquam rectè intellexiſſe naturam elemẽtorum. Si enim intellexiſſetis, longè melius microcoſmum quoque diuiſiſſetis, quem tamen craſſiſſimè explicatis.

Caput

Caput V.

QVandoquidem vltima materia demonstrat, cunctas res in tribus consistere substantijs, easque tres medici esse subiectum: iam considerandum est medium corpus adeo pulchrè fabricari & mutari, vt substantijs ijs nõ sit simile. Quæ tamen cõmutatio non aliter se habet, ac si imago pingatur à pictore in pariete, aut statua sculpatur in ligno. Non ibi videtur lignum, sed pulchra imago, & vuido panno omnia cito auferuntur, quę pictor adorauit. Eodem modo habet se vita nostra. Omnes sumus sculpti & formati à Deo, constitutique in tribus substantijs: deinde depicti vita, quæ nobis aspectum, auditũ & motum suppeditat, ac vno sordido & madido panno tota expungi potest. Hîc diligenter cauendum est, ne vita cum suis circumstantijs fallat. Miser enim ac tædiosus esset pictor, qui picturã suã ita tribus induceret substantijs, vt apparerẽt non secus ac si vnam Sol depinxisset, aliam Luna, tertiam Venus, & sic de reliquis: alius apparet cãdidus, alius spadix, alius hoc modo, alius alio. Pictoris est

artificium, qui suas statuas ita exornat, sed nihil ad hoc ex ipso picto desumit vel aufert. Meri sunt colores, non ex oleo aut bitumine, sed vmbrę & aeri similes. Verum quidem est, aliquos esse colores hominis, qui necessariò obseruętur: sed à mortè originē sumunt, quæ & suos habet colores, ipsaque cùm accedit ac dominatur, vita discedit. Quid hi colores declarāt? Mortem, eiusque morbos. Hi duo colores obseruādi quidē sunt, sed non demonstrant morborum fundamētum. quia sunt signa: & signorum natura est incerta & fallax, tanquam oratio simulatè pronunciata ore absque vero cordis affectu. Propterea verò, quòd colores inuenias in omnibus corporibus, non inde tibi persuadebis, eos tuam in potestatem posse redigi. Siquidem nec cælū, nec terra ad hoc tibi sunt auxilio, quòd omnia ista longè excedit. Nihil autem aliud cogitandum aut sciēdum est, quàm omnes res consistere in imagine: hoc est, singulas res esse imaginibus præditas, in quibus anatomia est sita. Homo est imagine ornatus, quæ ipsius est anatomia, quam medicus necessariò

cessariò cognoscet. Sic enim sunt quoq; morborum anatomiæ. Hoc est, Hydrops ita imagine est formata, vt imaginē vel simulachrum formari decet. Non sufficit igitur hominis anatomiam scire, verumetiam hydropis tenere ac intueri oportet, nō fucus, ac si picta aut scuplta in aliqua forma, ipsi esset proposita. Similis est ratio & omnium reliquorum morborū. Ad huiusmodi picturam anatomiæ descendam. diligēter nobis contendendum est, quòd absque illa nunquam natura nos vocabit medicos. Exēplum sumite à rosa vel lilio: cur Deus istum florem, aliaq; similia tali imagine formauit? Propterea quòd medicum & eius medicinam crearit ex terra, ita vt sciat quid ex terra proueniat in ipsius anatomia. Rosæ anatomiam vbi cognouerit, discet anatomiam morborum, ac reperiet concordantias eorum, quæ cognata sunt ac coniungi debent. Ex concordantia duarum anatomiarum crescit medicus, nec vnquam sine ipsis existit. Felix admodum esset afflicto hora laborandi in illis. Vnde animaduertatis: quicquid matrici prodest, id præditū est

matricis anatomia & omniū ipſius morborum anatomia in hoc cotinetur. Quade cauſa meritò anatomia morborum & omnium rerum naturalium ob oculos ſemper verſabitur. Sic Deū in ipſius mirabilibus operibus agnoſcemus, ac perpendemus nobiſcum admirandas illas imagines nulla alia de cauſa exiſtere, nec etiam aliā ob cauſam morbos valde mirabiles eſſe. Et quiſquis morborum huius Roſæ anatomiam *tenuerit*, gaudebit, quòtieſcumque *inſpexerit ipſam*, quòd talem medicinam Deus ipſi ordinarit, ac dederit, quæ amicè ipſos intuetur, ac ſanat, non abſque lætitia & conſolatione. Similiter agunt, lilium, lauendula, aliæq; res ordine omnes. Quid autem ſunt colores? Nihil niſi externorum oculorum delectationes & paſcua. Morbi non incommodè ipſis conferuntur, dum in vltimam ſuam tendunt materiam. Vt in guſtu. Quid aliud eſt guſtus, quàm pars anatomiæ, quæ ſolùm declarat, ſimilia ſimilibus eſſe coniungenda? Ex quo ſequitur, ſingula corporis membra ſuos habere diſtinctos guſtus, quo dulce coniungatur ſuo dulci, & amarū

ſuo

ſua amaro,prout gradus dulcedinis ſuas amaritudines retinent. Quis profitebitur, ſe videre poſſe medicinam hepatis in gentiana, agarico, colocinthide? nullus medicus. Quis item fellis medicinã videat in mãna,melle, ſaccharo & polypodio? Nullus certè medicus. Similia ſimilibus coniungi debent, non temere, ſed ordine anatomico: non frigidũ contra calidum,nec viciſſim calidum contra frigidum,ſed omnia in anatomię vera linea. Mirabilis & abſurdus fieret ordo,ſi conaremur in cõtrarijs & pugnantibus ſalutem noſtram quærere. Nullus filius à patre panem petens,accipit loco panis ſerpentẽ: Ita æſtimabimus & nos Deum erga nos eſſe: qui nos creauit, largitur nobis ea,quæ petimus,non ſerpentes iſtorũ loco. Vt igitur puero petita tribuuntur non venena,ſic quoq; felli ſua poſtulata,cordi ſua,& hepati ſua. Hoc ſit fulcrum firmiſſimum, cui inſiſtat medicus,cuique videlicet rei tribuere ſuum orindatum medicamẽ. Quia panis, quẽ puer comedit,ſuam quoque habet anatomiam, veluti omnes res, ac panem edendo propriũ corpus ſumit. Sic quoq;

se habet vnaquæque medicina. Anatomia suos debet habere morbos. Ignaro anatomię durũ ac difficile est sequi probitatem eiusque simplicitatẽ, facile autem ipsis, qui omnem probitatem negligunt, turpitudine & vitijs non mouentur: isti sunt luminis naturæ hostes. Inspice oculum capitis, quàm mirabiliter sit formatus, & quãta admiratione medium corpus suam anatomiam in imagine constituerit, ipsique suum gustum tribuerit. Ex gustu & specie oritur cognitio ipsius medicinæ. Obserue anatomiam, & vbi eius morbi eduenientes vt cataracta, macula, albugo, scotomia, &c. habitent. Postquam verò simplicia oculorum inueneris, diligẽter inspicias illa, vt reperias morbi speciem in sua anatomia. Vt exempli gratia: Morbus nascitur aliquis ex transmutatione: iam & tu transmutes eorundem oculorum anatomiã, ac in ipsa transmutatione inspicias anatomiam gustus, & formæ, magis tamẽ gustus, quàm speciei, vt habeas concordantiam earũ rerum in prõptu. Quis obsecro cæcus à Deo peteret panẽ, quum sciret venenum datũ iri? Propterea

rea sis in anatomia peritus & doctus, sic non dabis lapides pro panibus. Cogitabis enim te esse infirmorum patrem, nõ doctorem: nutrias itaque illos tanquam pater filium. Ac veluti pater filio ad hoc datus & quasi conditus est, vt illum pro necessitate sustentet: eumdẽque, quem ipse comedit cibũ, præbeat: sic & medicus suis ægrotis. Atque ex huius vnici exempli intellectu, reliquorum omniũ quoque morborum exempla sunt accipienda. Quicquid transmutatum fuerit, id & tu transmutes. Diligẽterque obserues, vt sanè coniungantur anatomiæ. Deinde quoties morbi ingruunt, etiam atquæ etiam curato, vt eos certa proportione in vtraque transmutatione conferas. Hoc modo omnia recepta seu formulæ medicamentorum ordinari & cõponi debent: non prolixis theriacæ, syruporum, aliorũq; similium compositionibus, in quibus nulla obseruata est anatomia, sed solùm phãtasia. An nõ igitur iure ipsorum ordinationes & recepta hæreditate quasi accepta relinquã & abijciam? Profectò iustè & rectè. Quòd verò multæ nonnunquam virtũ-

tes & vires in nonnullis huiuſmodi receptis, in quibus operationes aliqua ex parte ad ſanitatem, (licet non ſine periculo) tendunt, reperiantur, id inde euenit, quòd fortè fortuna aliqua tangatur anatomia, aut aliquod principale ſeu peculiare ab egregio medico ſit inſertum, quod iſtorum ſtultitiam obſcurat ac tegit, ſimulque defendit ſuum honorē & aſſutum ſibi nomen: Hoc eſt magiſteriū talium hominum. Quàm turpiter errat iſte, qui fundamentum iecit *in luto* muſcoſo atque paluſtri, qui quotidie cogitur ſuffulcire, quò fundamentum lubricum & fictum conſeruet. Fulcra quippe plena ſunt ſophiſmatibus, ac fallacibus blandimētis: varia ac precioſa in vnum cogit, quorum plures ſunt naturæ, magisque varię natiuitates, quàm nomina, quorum tamen numerus eſt infinitus. Sit hæc quæſtio propoſita, Vtrū vinum & oleum vulneribus conducant, quemadmodum Chriſtus de vulnerato dicit in Hierico. Negare nō potes: ſed verum illud eſſe fatendum eſt, non figurā, non ſimilitudinem, non fabulas, non præſtigias. Hæc ita cùm ſeſe habeāt, & illa duo

ſint

sint medicina: oportet vos agnoscere uestram stultitiam, cùm nihil istorum possitis sanare, quæ Samaritanus curauit. Etiamsi verò historia hoc modo reuera gesta non esset, nihilominus tamẽ Christus, qui est veritas nequaqàm inutilem aut falsam docuit medicinam, sed veram anatomiam & arcanũ. Absit longè à nobis cogitare Christum simplicia naturæ malè allegasse. Cùm itaque illud arcanũ sit ad vulnera: considerate quid vobis desit, vel quid decedat. In hoc certè consentire oportet, oleum & vinum sufficere, alioquin nullum est in medicina fundamentũ. Idcirco diligenter obseruate & discite præparationes, vires, tempus, horam, proprietates & conditiones, & quæcumque alia ad hæc conducunt. Nam hoc si concedas, granum non proferre fructum, nisi iactum prius in agrum, putrefactũ fuerit: & illud necessariò verum erit: vulnus est ager, oleũ verò & vinum, semen: iam tu coniecturam fac, quid sit fructus.

Caput VI.

HAec omnia manifestissimè in lucẽ proferunt artes illę, quę dissoluunt ac diuidunt corpus viuũ, quod nõ ast microcosmus: hoc est, in vita debet experientia fieri. Illud tamen verum est, experiri in vita, quid sit in medio corpore, est dissolutio præsentis, & commutatio in aliam. Primæ enim vitæ nihil superstruas, verùm secundam accedas, in eaque quæras, quæ oritur ex artibus, nõ in vsum animę: hoc est, non est hæc vita hospitium animæ in prȩsenti seculo seu priori vita. In hac secunda vita artes inueniũtur, & fundamẽtum quod proponitur. Considerate enim infirmitatem prioris illius vitæ, quæ si transitura sit in efficaciam atque energiam suorum arcanorum, priùs emoriatur necesse est, cùm nihil sit in ipsa, quod homini prosit. Rosa magnum quiddam apparet in priori vita, & pulchrè ornata sua fragrãtia: quandiu tamen eam habet ac retinet, nõ est medicina, sed necesse est eam prius putrescere, & in eadẽ putrefactione mori, postea que renasci. Hoc facto, loquere de viribus ipsius medicinæ, & administra

miniſtra eam. Siquidem ſtomachus nihil integrum aut imputrefactũ eius relinquat, quod in humanam trãſibit naturam, ſed omnia ſeparet, digerat, ac putrefaciat: Itaque & tu nihili facias priorem vitam, nec quicquã in ipſa quæras: vniuerſa eius cõplexio, & quicquid eſt, perit, nec quicquã permanet. Quicquid verò non permanet, quicquid non tranſit in regenerationem, id medico nõ eſt ſubiectum. Omnis labor, omnisque conatus illius tendet in regenerationem: inde ſcaturiunt tincturæ, arcana, quintũ eſſe, in quibus omnia myſteria, totũ fundamentum, verus labor, omnisque cura ſita atque recondita ſunt. Vbi poſterior vita adeſt, ibi prima materia conſpicuè cernitur: cuius vltimam vides, dum prior vita medij corporis recedit: poſt quam mediam vitam, noua vita debet incipere, quæ nulli parti ſubiecta eſt, niſi fini, in quo omnia diſſoluuntur: & dum mors diſſolutionis inuadit corpus, noua vita non adeſt. Hæc in homine præmeditari, in ijſque firma fundamẽta iacere oportet. Nã in explicatione ac diſſolutione medij corporis patefit prima

materia, quã qui cognouerit, eiusdem quoq; ſubiectum callet vitamq; ipſius. Duo ſunt ſubiecta, alterum eſt infirmus: hic non traducitur in nouam vitam, ſed media ipſi permanet. Alterum verò eſt medicina, quæ mediam vitam cõſeruat per ſuam nouam. His itaque de cauſis in noua vita conſiſtunt arcana, non autem in prima ſeu media. Bene quidem & rectè faciunt, qui anatomiam microcoſmi duplicem inquirunt, cuius altera eſt localis, altera materialis. Localis eſt diſſolutionis hominis in ſuas partes, vt apparcat, quod os, caro, neruus, & reliquę partes ſint, & vbi collocatę. Sed hęc minimi eſt momenti: altera hanc longè excellit, eſtque illa, qua noua in hominẽ vita introducitur poſt primam mediam vitam in tranſmutatione, qua deprehẽditur quid ſanguis ſit, & eiuſmodi Sulphuris, Mercurij & Salis: ſimiliter quid ſit cor, quale ipſius exiſtat Sulphur, quale Sal, & qualis Mercurius. Eadem eſt ratio cerebri omniumque corporis partium. Hæc eſt vera anatomia, & primum omnium fundamentum. Hoc modo naſcetur medicus. At hæc natiuitas difficilis

lis est intellectu, & durus sermo ijs, qui suæ phantasiæ opiniones nolunt relinquere, quique proprij cerebri figmẽtis, non viuæ veritatis, confidunt. Nisi profectò in artis vita educemur, quis nobis credet aut fidem habebit? Hæc verò est primæ materiæ inuentio: hæc quoq; est ipsa prima materia, quæ nobis morbos indicat: hanc nos nouisse oportet: tunc demum transmutatam quoque anatomiam poterimus cognoscere. Ad hæc alia nunc sequitur anatomia, quæ (vt sæpius dictum est) morborum existit, quæ hoc loco non opus est explicatu. Tres igitur anatomiæ in homine obseruabũtur, quarum prima Localis demonstrat humani corporis speciem, figuram, formam & quæcumque ipsi adhęrent: Altera examinat & probat Sulphur viuum, mobilem & fluidum Mercurium, & Sal acre in vnoquoque membro: Tertia verò indicat, quo pacto nouam anatomiã mors introducat, quæ mortis dicitur anatomia: hæc docet, qua forma atque natura mors inuadat. Lumen enim naturę docet, mortem tam varijs modis ac formis accedere. Quàm variæ species

prodeunt ex elemẽtis, & quotuplex corporum ſunt differentiæ, tot mortis quoque ſunt genera. Vt porrò vnumquodque corpus aliud gignit, illud ipſum gignere hîc eſt anatomia: quæ profectò variis fit modis, donec omnes ordine moriamur, ac per illam conſumamur. Præter hæc autem omnia, conſimilis quoq; exiſtit ſcientia de anatomia Medicinæ. Quibus omnibus eadem proportione reſpondet ac præeſt firmamẽtum, & ſic quoque terra, ſic aqua, ſic aer. Poſtquam verò anatomia eouſq; in noua vita fuerit deducta, vt firmamentum appareat cum omnibus aſtris, bene ſe res habet. Neceſſe enim eſt vt Saturnus ſuum conſtituat Saturnũ in corpore, & Mars ſuũ Martem. Id quamdiu factum non fuerit, ars medica nondum erit perfectè inuenta. Sicut enim arbor naſcitur ex ſemine, & ſicut herba prouenit ex ſemine: ſic quoq; in noua vita prodire oportet id, quod inuiſibile proponitur, & reuera adeſt, eoque deducendum eſt, vt conſpicuum fiat ac videri queat. Si enim naturæ lumen, lumen dicendum ſit, neceſſarium vtique fuerit, vt conſpiciatur, & nõ

ſit

sit caligo neque tenebræ, sed tale sit, vt per illud oculis nostris vti possimus ad ea, quæ cernēda sunt. Hi enim nō transmutantur in alios, quàm nunc sunt, interim tamen aliter illos videre oportet, quàm rusticum: ad quod ipsos promouere atque iuuare oportet lumen naturæ. Quapropter etiā virtute anatomiæ, cuius fundamenta consistunt in naturę lumine, morbi quoque iure nomina sortientur & ex naturali lumine, non tenebris: hoc est, vt cedri anatomia cedrinos efficiat morbos. Vnde sequitur in descriptione morborum ferri, ferreos dici morbos: ex descriptione Astronomiæ, Martis morbos. Sic enim singuli rectè nominantur morbi ac intelligūtur. Artis quoque errore, & sine rationis fundamento factū est, vt febris dicatur febris. Hoc enim morbi nomen ductum est ex ipsius calore, qui duntaxat signum est morbi, non materia, nec causa: debet autem nomen sumi à materia, proprietate atque natura veræ substantiæ. Sic vrtica rectè quidem dicitur, quòd vrat: sed melius Sal vrinæ, eò quòd vnam habeant anatomiam. Vnde febris tale nomē est,

quod sui magistri stulticiam prodat. Est enim morbus nitri Sulphuris incẽsi: hoc cõcutit corpus: hoc frigus & horrorem excitat: hoc interuallum efficit. Hæc alia que nomina suis in capitibus inuenies. Similiter quoque Apoplexia suum proprium demonstrat nomen, nõ magistri sapientiam. Quod nomen medica consideratione, iuxta fundamentum medicinæ non debebat *dici apoplexia*, sed Mercurius cachymialis sublimat⁹. Hæc enim eius est materia peccans, & causa. Signa huiusmodi solùm in hoc conducunt, quòd corporis substantia per illa cognoscatur. Quisquis itaque falsa eiusmodi signa inducit, eaque inuertit, in vniuersa errat practica & reliquis sibi necessarijs. Varia enim & multiplicia sunt corporum genera cùm calefacientium, tum refrigerantium. Vnde nomen febris falsum est: nitri verò non item. Adhæc febris nomen ex fundamento humorum desumptum est, vnde sumi non debebat. Quamuis rectè quoque nomina petantur ex arte curandi, siue medicina sanãte. Ita caducus quidam viridellus dicitur morbus, quòd ea caduci spe-

cies

cies viridello curetur. Hoc tamen nisi certa cum distinctione fiat, errorem esse scias. Distinctio enim anatomiam ipsius conseruat. Nec te perturbet, quòd rustici & externi oculi hæc tibi non ostendant, nec cernant: nam medium corpus istos excæcat. Ideoque scientia illa adest, in qua medicus consistet, plura huic reuelans quàm rustico. Nisi enim plura videre atque cognoscere velit, quàm rusticus, minimè vocatus, neque natus est ad medicinã. Rusticus in eum finẽ non est cõditus, sed medicus: quod quidem efficit scientia ea, quam medicus callere debet. Medicus enim ille est, qui miranda Dei opera plurimis patefacit. Hac itaque de causa quum existat, rectè ipsis vtetur, non malè: verè, non falsè. Quid enim in toto mari existit, quod medicum latebit? nihil. Quid vastissimum continet æquor, quod ipse nõ patefaciet? nihil. Omnia in lucem proferet, non solùm quæ in mari recondita iacent, verum etiam, quæ in terra, in aere, in firmamento, hoc est igni, quò pleriſque omnibus appareant opera Dei, qua de causa existant, quidue significẽt,

præsertim quantum ad morbos attinet. Hæc quoad non patefiunt, necdum sanctiam eam adesse ostendunt, quæ adesse debebat. Quid verò causæ est, quód tanta quidem stultitia, tam parum autem veræ artis sit in hac professione, quæ tamen magni vult æstimari? Nec huic soli, sed & alijs pluribus professionibus similis cæcitas & oculorum caligo atque defectus accidit. *Sicut enim nos ignoramus Cetum, illud monstrum marinũ, ita quoque altera professio nescit, quid illud in Apocalysi sit, quid Babylon sit:* ita vt pares vtrobique sint cœcitates, quas minimè adesse conueniebat. Et quemadmodũ medici cœcitas in istiusmodi rebus, infirmorum mors est, ita quoque prędicta cœcitas animarum est mors. Mirabilia ac rara Christus loquitur, quæ & ipsa sunt quædam medicina. Sicut vna, sic & altera necessariò est inuestiganda. Hæ enim duæ professiones non separabuntur. cùm enim corpus animæ sit domicilium, necessariò vtiq; inter se cohęrent, alterumque patefacit alterum.

Caput

Caput VII.

OBseruandũ porrò & hoc est: quandoquidem hactenus anatomia, & noua vita, vnà cum sua scientia, in omnibus substantijs perpẽdendæ atque inquirendæ sint propositæ, idque nõ abre, cùm fundamentum sit medicinæ: necessarium insuper esse, vt omnes interni nostri defectus rebus externis pascãtur ac reseruentur. Ita hoc ipsum quod nos sumus, *idem* est & externum: quod licet *non habeat* eandem formam, semen tamen est eiusdem corporis, quod in nobis formatur in id quod existit. Veluti semen est sua arbor, verùm in terra perficitur. Stomachus enim terræ, sculptor seu statuarius eius est, qui id sub aspectũ producit, quod ipsum ante occultum erat & absconditum. Vnde omnes etiam morbi suas imagines sortiuntur: itidẽq; huiusmodi imagines suam à Deo ordinatam habẽt medicinam. Pulmo enim si laboret, propriã sibi habet medicinã, quæ se transformat in ipsius anatomiã, prout *ipse* morbus fuerit. Hinc tale notetis exemplum de nutrimento. Omne nutrimentum nostrum idem est, quod

nos ſumus, & ſic noſmetipſos comedimus: ita & medicina comedit, non tamē ſimpliciter, ſed pro ratione morbi, & quicquid ſanitati decedit, hoc ipſum reſtaurat idem membrum in ſuo mēbro. Hoc ne tibi mirum videatur: ratio impromptu eſt. Arbor campi non eſſet certè arbor, abſque nutrimēto. Sed quid eſt nutrimentum? Non fimus aut ſtercoratio: non putredo *vel putrefactio*: verùm ſemen, ſaturatio famis. *Quid eſt fames?* Imago futuræ mortis in membrorum cōſumptione. Quia forma eſt in medio corpore ab ipſomet Deo inſculpta. Hęc ſculptura permanet in forma imaginis, ſed conſumitur ac perit abſque additione primæ formæ. Qui nihil comedit, non creſcit: qui nihil edit, nō permanet. Si ergo incrementum fiat ex nutrimento, informator ipſi adeſt, qui formam nutrimenti ab eo expellit, quod formam habet nutriendi, ſine qua is nihil quicquam poteſt efficere. Vnde ſequitur nutrimentum informatæ flatuæ formam in ſe continere, in quam actu tranſit, creſcit & augetur. Pluuia cōtinet in ſe limum & liquorem terræ: pluuia eſt

potus

arboris: liquor verò terræ, ipsius cibus: per hæc crescit. Quid autem hoc est, quod crescit? Nihil aliud, quàm arbor, quæ quantum augetur, tantum ex pluuia & liquore terræ nascitur ligni, corticis, & reliquarum partium. Informator existit in semine: lignum verò, cortices, aliæque partes in liquore & pluuia. faber ille, seu artifex in semine existēs nouit ex his duabus rebus lignum conficere. Eeadem est ratio herbarum, in quibus semen nihil est, nisi principium, in quo formator & fabrilis natura atque proprietas existit: cui porrò orienti augmentādo, pluuia, ros & liquor terræ herbam tribuunt, vnde in his causis, folia, flores, aliæque partes insunt. Eodē per omnia modo vnaquæque forma externo nutrimento vegetata excreuit: quo & nos destituti non amplius crescimus, sed in deserta morimur forma. Postquā verò adoleuimus, formam integrā conseruare cogimur, ne quid deficiat aut decedat. Insita enim nobis quædam est essentia igni persimilis, quæ nostram formam & imaginē consumit, vt nisi subinde aliquid adderemus, formāque vitæ

noſtræ augeremus, breui moreremur in deſerta forma. Quare noſmetipſos comedamus oportet, ne ex defectu formæ moriamur. Comedimus itaque noſtros digitos, noſtrum corpus, ſanguinẽ, carnem, pedes, cerebrum, cor, aliasque partes. Hoc eſt, vnusquiſque bolus, quẽ mandimus, continet in ſe omnia noſtra membra, quæcumque integer homo toto corpore continet. Errorillos magnus inuaſit, qui rectè quidem indicant mẽbra corporis nutrimento indigere, verum quare alimenta requirãt, & ad quid reticent. Non intellexerũt quippe, quid alimentum hominis ſit, in quid conuertatur, & quis in id transformet. Faber itaque ille nihil ad ſtatuam erigendam aſſumit, niſi quod ad ipſam eſt idoneũ, id eſt, quod lignum eſt: reliqua per ſedes iterũ eijcit, ſolaque ſtatua ſimplex permanet. In cunctis item alijs rebus notandum eſt, nutrimentũ eſſe duntaxat formæ cauſa. Ineũte æſtate incipit tempus famis in arboribus, quæ tunc conantur folia, flores, fructus, & alia eius generis producere. Quid autem ex ijs prouenit, niſi formam prædictorũ extrinſecè accipiant?

cipiant? In seipsis certè non habent. Si enim in suis corporibus illam continerent, vel excisæ non minus eadē gignerent, quàm terris infixæ. Popterea terræ sunt insitæ, vt hinc prædicta forma in ipsas transeant, & fabricentur seu transformentur in ea, ad quæ cùm naturali proprietate ducūtur, cum suo magistro, id est dono. Homo autem insitione huiusmodi non indiget, quia fructus suos non eodē modo producit, atque arbor, sed longè alia in fructibus faciendis est creatura. Quare animaduertite, omnes res, quę viuunt ac vegetantur, ad formæ suæ conseruationem, eiusdemque defectus restitutionem, famæ & siti præditas esse, vt his formam in se resarciāt atque restaurent. non secus atque videtis pinguedinem & similia, liberaliori nutrimento augeri, eoque detracto, eandem speciei partē diminui ac recedere: sic aliæ quoque partes sese habēt. Quamuis sit naturæ hæc imminutio, vt si principalia inuadat membra, mors celeriter adsit. Siquidem vita non permanet in dissoluta interna imagine cōmunis corporis. Sic ex homine crescunt homines

id est,nutrimentum est homo, ac restituit hominem,hoc est,imaginem ipsius. hac ratione nosmetipsos comedimus. quod nisi fecerimus,consumitur nostrũ corpus,nostra media vita, & quicquid in nobis existit. Vnde homines duo sũt, quorum alter videtur,alter nõ.Aspectabilis iterum est duplex,alter animalis,alter corporeus.Qui sub aspectum non cadit,simplex est,scilicet *corporis* ratione duntaxat,cuius tale profertur exemplũ. Ex rudi fortè occurrente ligno statuarius concinnare atq; desculpere statuã potest,resecando ea, quę ad statuam nõ pertinent:sicque ligno inest statua, quæ primò nequaquam apparebat. Eodem modo & nutrimentum est corpus humanum,nec tamen apparet, antequam in corpore transeat ac trensformetur in membra:non vt peculiaris seorsim pars eiusdẽ quantitatis maneat,sed artificiosissimè trãsformetur.Hîc enim sculptor ac statuarius est summus ille magister & sapientissimus opifex: hic hominem informat, hoc est, mẽbra per totũ corpus iusta proportione disponit.Cùm itaque nobis constet, non nos solùm nosmet-

ipsos

ipsos,verùm etiam omnes arbores, singulasque naturas ,seipsas comedere & bibere:diligenter nobis considerandum est,quid hinc sequatur in re medica,quē admodum nunc sequetur. Quamuis externus esus ossis,neruorum, ligamentorum,mirabilis cerebri,cordis & pinguedinis,&c. non eadem in medicina comestione designet:quod sic intelligas,vt os non precisè faciat os, neque cerebrum simpliciter cerebrū,verùm quisque bolus omnia ista existit:si formam inuisibilis adsit,ossa etiā adsunt. Panis quoque sanguis est:sed quis videt? est etiam pinguedo:sed quis cernit eam?quis tactu animaduertit?Est & laridum:nemo tamē videt, nec sentit illud: attamen fit laridū. Adeo bonus in stomacho est magister. Qui ex Sulphure conficit ferrum, quod Sulphur est, idem & hîc quotidie adest,& fabricat homini ea,ad quæ ipsū primò formauit. Sic idem ex sale nouit adamantem efficere,ex Mercurio aurū: cur non & homini talia præstaret? Maioris facit hominem, quàm istiusmodi res. Quapropter ille omnia homini fabricat necessaria: tu modò apportes &

ſuppedites materiam: ipſe ſculpat atque informet, prout ſingula formari conuenit: ipſe obſeruat numerum, menſuram, pondus, proportionē, longitudinē, & reliqua eiuſdem generis omnia. Vnde animaduertendum eſt, vnamquamque naturam eſſe duplicem, alteram ex ſperma te, ex nutrimento alteram. Sperma eſt ſemen, quod ſimul atque adfuerit, alimētum quærit. *Ipſum porro ſperma* eſt creatura, ſicut & alimentū, *ſed illud* formæ humanæ libertatem obtinet, vt comedat id, quod in hominem tranſmutatur, & ex quo membra humana formantur. Quapropter homo eſt conſumptio formæ, cōſtitut⁹ per mortē, quæ præbet cauſam ſeminis. Hanc mortem ipſe cogitur ſuſtentare eo, quod nutrimētum efficit. Ex quo ſequitur, non ſufficere, hominem eſſe natum ex matre, ſed neceſſariò quoque ipſi naſcendum eſſe ex nutrimento, quantum ad corporis attinet vitam, non animæ, quæ ſeparata eſt à nutrimento. Huius enim vitæ proprietas & conditio prouenit vnâ cum anima, non corpore. Quæ verò cum corpore adeſt, quantum ad geſtus & mores attinet,

net,ex humana prodit sapientia. Quicquid autem adest ex nutrimēto, corpus est,in quo non consideratur vel virtus, vel ira, vel probitas, vel nequitia. Quid verò sit corpus, nouit medicus. Et qui corpus fabricat in vtero matris,idē quoque format illud in stomacho. Hoc enim modo hic faber laborē & opus suū indies perpetuoque conseruat:quod nō alio consilio factum est,nisi vt quotidie resarciatur ac restauretur:id est, vt forma conseruetur,quæ nunc hîc, nunc illic perpetuò deficit,dissoluitur, rūpitur & dissuitur, nunc hoc, nunc illo pacto, quemadmodū & in sano & in ægro corpore variè probatur. Sanitas enim non minus requirit sui obseruationē, quàm ægritudo.

Vnde agnoscamus nos duo habere corpora, & nihilominus vnum esse corpus,sed duplici modo creatum,in semine videlicet,& nutrimento: & alimenti corpus idē planè esse corpus,quod spermatis,quamuis hoc illud prȩcedat. Qua de causa obseruabimus,nos omnes, quā primùm nati sumus ex vtero matris, & in ipso quoque vtero,Dei gratia & mise-

ricordia viuere, nec amplius corpus ex matre, sed nutrimento habere. Alterum enim corpus iure originis ex patre & matre habemus. Verùm hoc ne consumatur & pereat, recipimus illud per preces ad Deum sparsas, dum oramus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Quod idem est ac si dicas, Largire nobis hodie quotidianũ nostrũ corpus. Nam corpus ex matre natum sustentatur vsque in horam mortis, ideo petimus quotidianum: hoc autem est illud, quod nobis tribuit corpus. Vnde cõstat, nos duo habere corpora, alterum iuris, alterum misericordiæ: sic duas quoque medicinas, iuris videlicet & misericordiæ. hoc est, nos vocati sumus ad vtrumque corpus, & quod à patrè & matre accepimus, & quod ex cibo accedit. Itaque Christus nos docet orare panem quotidianum, quasi diceret: Corpus illud, quod ex matre sortiti estis, nihil est, iam diu cõsumptum, breuissimoque tempore mortuũ fuisset, nisi sustentatum esset: nunc verò panis est vestrum corpus. Illud ergo vobis est obseruandum, animoque voluẽdum, nos nõ amplius viuere iure patris & ma-

& matris, sed, ex corpore misericordiæ. Qua de causa orate Patrem vestrum cœlestem, vt largiatur vobis panem quotidianum, hoc est, vestrum corpus: & dabit vobis corpus, videlicet misericordię. In hoc viuimus in posterum, & nihil ex corpore iuris habemus, nisi solum generationis nostræ initium. Vnde constat nos edere nosmetipsos ex gratia & misericordia. Agnoscendum enim est homini, quòd quamuis prodierit ex vtero matris, non tamen ea de causa iam pergat esse matris aut patris filius: sed ipsis iam deinceps sit filius, qui illum nũc nutrit. Quapropter cælestis ille Pater non solùm eo iure pater noster est, quod Adamo eiusque progeniei tribuit, verum etiam quotidie misericordia noster pater est, quum mortale corpus ex parentibus mortalibus ortum amittamus. Nihil enim à mortali & terreno patre habemus præter semen: reliqua omnia à cœlesti accipimus patre, cuius etiã toti sumus, & quem oramus, vt det nobis nostrum corpus (quemadmodum suprà dictum est) non iuris, sed misericordiæ. Quod si corpus misericordię non adesset, alterũ

illud prima quaque hora mortem obiret. Considerate igitur quid sit corpus. Comedimus nosmetipsos, non iure, sed ex misericordia & precibus.

Caput VIII.

ANimaduertendum itaque nobis diligẽter est, quidnam simus: cùm non amplius viuamus ex materno corpore, sed ex corpore panis, quod ex misericordia, & non iure, exorandum est. Quod Ioannes Baptista significauit, cùm de Iudæis loqueretur, Deum posse ex lapidib⁹ Abrahæ filios excitare. Quid illud est aliud, quàm dicere, Deum ex lapidibus tanquam ex terra panem efficere, qui panis corpora filijs Abrahæ præbeat, quo hi deinde agnoscant se corpore misericordia concesso ex alimento viuere? Hæc propterea enarro, vt rectius intelligatur id, quod proposui, quomodo videlicet homo suam habeat anatomiam extrinsecè, eamq; scire medicum, suæque scientiæ fundamentum statuere oporteat. Sic enim peruenimus ad triũ substantiarum cognitionẽ, & quid ipsæ sint

sint discimus. Ex huiꝰ iam corporis cõsi
deratione sequitur victus & cibi ratio,
quæ occasionem & causam porro præ-
bebit describendi morbos ex plenitudi-
ne & inordinata mensura, & malo nu-
trimento, quod corpori nostro minimè
conuenit. Ac licet propterea corpus pa-
nis habeamus, vt quicquid nostro tradi-
mus stomacho, illud in nobis vel in nos
conuertat: tamen præcatio de solo lo-
quitur pane, tacitè quidem simul includens petitionem, vt omnia nobis sint
munda subiectaque, nihilominus quò
magis ad panem accedũt, & quanto iu-
stior in omnibus seruatur mensura, eò
sanius existit corpus. Hoc modo nosmet
ipsos restauramus, pristinumque vigorẽ
recipimus, ac qualem ex semine alimen-
ti sementem fecerimus, tale & corpus
habemus. Præterea habemus quoque
morbum ex corpore iuris. Quamuis iu-
stitia nullum efficiat morbũ, vt nec pa-
nis quem petimus: sicut Ioannes Bapti-
sta & alij nonnulli hac de causa semper
sani absque vllis morbis vixerunt. Sed
quemadmodum in panis abusu luxus
contingere solet, ita quoque in dono iu-

ſitiæ. In vtraque enim parte nec mẽſura, nec ordo obſeruatur: vnde ſequuntur morbi, aliaque ſimilia mala, quæ nos nõ affligerent, ſi leges & preces obſeruaremus. Vnde multos morbos ex vtero matris accipimus: & eò quòd ſecundò cogamur naſci, ſecũdò quoque eoſdem recipimus morbos, hoc eſt, per panẽ quotidianum. Nam ſi rectè, & quidem exactius de victus ratione loqui aut ſcribebere velimus, haud aliam inuenire aut præſcribere diætã poſſumus, quàm permanendum eſſe in lege iuſtitiæ, & cibi, quem petimus: in quibus perpetuò omnis ſanitas conſeruatur, & præſeruatur aduerſus quemnis morbum. Quod ſi iſtam victus rationem non obſeruauerimus, nõ retinebimus quoque corpus noſtrum ſanum. Deus autem quum ſit adeo bonus, vt nõ ſeuerè agat cum præuaricatoribus ſui propríj conſilíj, & à ſe præſcripti pharmaci & ordinis: medicũ fecit, qui non aliter conſtitutus eſt ſuo in officio, ac Apoſtoli in ſuo, cùm Chriſtus ipſis mandat dicens, Toties remittite peccata, quotieſcumque peccator ingemiſcit: ſic & ille, quotieſcumq; morbus

bus inuadit corpus, toties præceptū habet sanandi, cuius diuini mandati vi recepta siue formulæ consiliorum omnes curant morbos, etiam læpram. Itaque sicut medicina, sic & medicus creatus est ad sanandum corpus humanum per potentiam eius, qui animam in corpore conseruat. Magna igitur, & nequaquā leuis (vt nonnulli arbitrantur) res est, medici officio fungi. Quemadmodū enim Christus mandauit Apostolis suis, dicēs: Abite, mundate leprosos, claudos pristinæ agilitati restituite, cœcis visum reddite, & similia: ita & medicis eadem præcepisse, non minùs quàm Apostolis, intelligendum est. Qui itaque lepræ curādæ ignarus est, nondū intelligit vim medicinæ: qui claudis, contractis non restituit facultatem rectè incedendi, immeritò appellatur medicus. quæ ratio valet & in omnibus reliquis rebus. Qua de causa obseruabitis, Deum nō constituisse medicum dumtaxat propter catarrhum, capitis & dentiū dolores, sed longè magis propter lepram, subitaneam mortem, epilepsiam, aliaque eiusdē generis omnia. Hæc mala si nequeamus

curare, deest nobis ars ea, quæ in medico iure requiritur. Dei verò bonitas & fidelitas in genus humanum non minuitur. Omnia quidem medicamẽta passim in terræ ambitu præsto sunt, verùm illi nõ adsunt, qui pręparent ac dispensent. hoc est, excreuerunt quidem vsque ad messem, sed messores nondum aduenerunt. Simulatque messores veræ medicinæ absque falsa cõceptis opinione fucatisque sophismatis aduenerint, mundabimus leprosos, cæcis visum restituemus, aliosque morbos eiusdem generis curabimus. Omnis enim virtus illa iam inest terræ, ac crescit: verùm superbia sophistarũ non admittit, mysteria atque magnalia naturæ in lucẽ prodire. Aestimãt medicinã ex suo ingenio, quorum scientias atque probitates si quàm posses plurimas conquisiueris, ne vnius quidem drachmæ pondere valebunt. Solent excusare stultitiã suam hoc dicto: Iste morbus est incurabilis: quo non solùm produnt suam stultitiam & ignorantiã, sed etiam mendacium. Quia Deus nullum permisit morbum prouenire, cui non crearit & propriam medicinam. Cæterùm

rùm noſtra ignorantia talia fingit, dum obliuiſcimur, Deum nobis ſingulis diebus corpus tribuere quotidianum. Hoc itaq; cùm faciat, cur nõ largiretur quoque medicinam curandi morbum ſuo certo & præſcripto tempore? Sed huius nemo amplius meminit. Pars aduerſa hocloco ſe vehementer opponit. Vt & multa quidem poſſe hîc in medium adferri videntur, quale illud fuerit: Deum nõ minus infirmos velle hîc in terris habere, atque ſanos: aliquando etiã vnius ob culpam integram legionem morborum exiſtere. nihilominus pro ſua ſingulari miſericordia impartitus eſt medicinam, inquiens, Infirmis opus eſt medico. Si eius opera indigent, proculdubio nõ in alium finem, quàm vt reſtituat eos ſanitati: hoc ſi non facit, ad quid ipſo indigebunt? opus eſt eo qui ſanet, & non qui relinquat ægros, & fallaciter ipſis indulgeat. Ex quo ſequitur, noſtri eſſe officij, omnes morbos poſſe curare, etiam lepram, cæcitatem & contracturam. Huiuſmodi enim affecti, omnes ægrotant, ac medico indigent. Illud tamen verum eſt, qui oculis ſuis abutitur ad ludendũ,

fallendum aliaque similia mala, non indiget quidem hac medicina: nec ille qui lingua sua blasphemat, ac petulãter obtrectat, ea sanè nõ opus habet. Si itaque huiusmodi hominem Deus tali mẽbro priuaret, ille verò diceret, sibi opus esse medico ad oculos suos curandos: non immeritò controuerti posset, ac respon deri, non egere ipsum oculis, nec scortatori opus esse pedibus. *Verùm hæc sunt in manu Dei, non hominis. Aliquid* certè causæ est, nec omnino fallit, *quin* medicus excusetur, non solùm in vno aliquo peculiari morbo, sed in omnibus ijs, quos aliud aliquod peius malũ præcauendum requirit, quales quoque patientes reputantur feliciores impijs sanis. Nam Deus eum, quem diligit, castigat. Quod adeo tamen fit occultè, vt nemo medicorum scire atque dijudicare possit. Ne autem occultam & magnam Dei beneuolentiam ac fidelitatem hoc loco prætereamus, animaduertendum, adeo mgnam esse Medicinã à Deo creatam, vt non solùm curet eos morbos, quos recenseo, & antea recensui, verùm etiam eos, qui ab ipsa natiuitate insiti sunt,

sunt, vt est innata cœcitas, contractura, & cæteri similes morbi. Nisi ex huiusmodi fundamentis atque causis medicina oriatur, multa ipsi adhuc folia desunt: licet plurima folia nugis sint referta, nõ tamen illud motum est, quod non debebat immotũ relinqui. Siquidem intuentes mirabilia naturæ, cernimus admirãdas euenire natiuitates. Leo sine vita nascitur, quã clamore assequitur, quod profectò plus est, quàm visum adipisci. Nec solùm illud leoni euenit, sed etiam multis alijs, de quibus nihil scimus, nec experiẽtia didicimus, quibus natura nobis declarat multa nos latere occulta & abdita. Itaque immeritò nostris quasi lacinijs atque cẽtonibus triumphũ (quod aiunt) ante victoriam canimus. Certissimum enim est, nos nondum transilijsse crates, quas nos superasse putamus. Iste sanè iubilationis dies est miseriæ, & amaravalde. Quia nondum iactum est fundamentum, taceo occultam naturæ cognitionem. Hæc qui vobis dicit, irridetur. Nihilominus nęniæ sunt omnes libri isti, quibus vestrã scientiam acceptã refertis, vosque defenditis. Vestra certè

testantur opera, vos vestram que doctrinam nihil valere: qui clauim sapientiæ, quæ est scientia & ipsemet Deus, vestris in libris non recipiatis. Hoc itaque modo, quo narrauimus ordine suis in capitibus, intelligenda sunt ea, quæ requirũtur in medico, & natura diligentissimè est inquirenda. Non enim manifesta est in suis occultis, & pauca admodum apparent. Admiranda res erat, vnum & idẽ mutari, aliud esse in principio atq; nunc, ex quo tamen omnes orti sumus, licet diuerso modo. sed quæ erat diuersitatis huius causa? Solum naturæ arcanum, quod etiam gignantes efficit, quod etiã vitam hominum 500, 600, 800, & 900. annorum produxit. Hoc naturæ arcanũ ipsi nouerunt, qui in illo vixerunt, eiusque vtilitates perceperunt. Nam omnia naturæ occulta fuisse in vno pomo inclusa, quod Adamo prohibitum est in Ebron, ne comederet, fieri nequit: sed manifestè nobis demonstratur, lõgè plura adhuc arcana ipsi inesse naturæ. Quia magnas & præclaras res certissimè scimus, vt prædictiones, scientias, & sapientias: quæ non fuerunt omnes in vno pomo,

mo, verùm plenius in alijs rebus. Multa etiam admodum rara & mirabilia quotidie reperiũtur, quæ non decet reuelare: aliquarum verò rerum vires patefieri nisi à Deo fuerit prohibitũ hæ enim nõ inueniũtur. Si enim reperitur venenum in terris, in quo mors est: illud quoque erit, quod vitam efficit. Si causa efficiens mortis est, causa etiam vitæ erit. Cæterùm eiusmodi res exigua industria & diligentia inquiruntur. Communis professio medica perit in examinando vrinam propter sordidam culinariam pecuniam, qua contenti sunt, quantum ad artem spectat. Si enim vrina ipsis tantum supeditat quæstum, quid amplius laborabunt? Nam pecuniam dunta-

xat quærunt.

THEOPHRASTI PARACELSI PARAMIRI, Liber secundus.

Caput I.

DIcturus quum sim de compositione & mixtione triũ in vnum corpus,& quomodo conueniant: vobis tale obseruandum est exemplũ. Quoduis semen triplex existit:hoc est, vnum quidem semen, in quo tres sunt & crescunt substantiæ. Quemadmodum illic vnum est semen & apparet, sic etiã tres substantiæ apparẽt vna esse. Omnis res in semine est simplex,concors & vnica,non multiplex aut diuisa. Vt in nuce est lignum,cortex & radix,quæ sunt tres diuersæ res,in vno semine cõiunctæ. Sic homo quoque initio est in vno semine, cuius quasi cortex seu concha est sperma. Semen propter exiguam quantitatem & subtilem naturã nemo vnquam vidit. Ex semine proueniunt homines, qui crescere dum incipiunt, augentur tres

tres istæ substantiæ, singulæque, pro sua natura miscentur & copulantur in vnũ corpus, non tria. Veluti vnus homo crescit in ossa, carnem & sanguinẽ, quæ quidem inter se distincta, sunt tria, attamen vnum coniunctione fit vegetans. Ita etiam tres substantiæ vnum constituunt corpus, cui insunt, & non videntur. Coniunctim & occultè, certo quasi concentu & proportione compositę crescũt ad suum vsque tẽpus, vt arbor, primò crescit in medulla, quæ sunt substãtiæ tres, & nihilominus in vnum transeunt corpus, quod est ipsa triplex substãtia. Deinde in ligno tres esse substantias probãt, ars, natura & mors, quę singulas res diuidit ac dissoluit, prout esse debent. Hoc modo considerate rerũ principia, quòd crescendo misceantur, ac omnia vnam rem constituant, singulaque suũ habeãt munus in cõplendo & perficiendo corpore. Adhæc notate diligenter singulorum trium officiũ. Ex Sulphure crescit corpus, id est, corpus totum est Sulphur, & adeo subtile, vt ignis illud auferat & consumat, nemine id vidente. Sunt autẽ varia Sulphuris genera, aliud est Sul-

phur ſanguis,aliud caro, aliud membra principalia, aliud medulla: aliarumque corporis partium eadem eſt ratio: hoc tamen Sulphur eſt notabile. Oſſa verò, quorum genera ſunt multa, etiam Sulphura exiſtunt, ſed ex Sulphure fixo. Singula porrò Sulphuris genera,quomodo ſint affecta, per diſſolutionis ſcientiam inueniũtur. Ex ſale autẽ corporis exiſtit congelatio: hoc eſt,abſq; ſale nihil cadit ſub tactũ. Quia ex ſale, adamãti durities ſua,ferro ſua: plumbo ſua mollities,alabaſtro ſua:ſimili ratione omnium rerũ congelatio fit ſale. Qua de cauſa aliud ſal eſt oſſium, aliud eſt ſanguinis, aliud carnis,aliud carebri,& aliud in ſingulis alijs partibus. Quot enim genera ſunt Sulphuris,tot quoque ſalis exiſtunt. Tertia ſubſtãtia eſt Mercuri⁹, qui eſt liquor. Omnes res habent ſuos liquores,in quibus conſiſtunt. ſic habet ſanguis,caro, oſſa,medulla,reliquaque ſingula, ſuum liquorem ſiue Mercurium. Vnus eſt quidem Mercurius, qui interim & tam eſt multiplex & varius,atque Sulphur & ſal. Vnde neceſſariò homo conſtat vno Sulphure,vna coagulatione vel ſale, & vno liquo:

liquore:quæ tria sunt ipse homo,qui est vnum corpus.Igitur obseruabimus vnũ esse corpus,& tres res : & quamuis in vnum concurrant corpus,tamẽ tres sunt res.Propterea Sulphur ardendo consumitur,estque nil nisi Sulphur:Sal transit in alcali,quia fixum est: Mercurius verò in fimum:siquidem non absumitur flagrando,sed fugit ignem.Quare animaduertite omnes dissolutiones & interitus istis tribus fieri,vt in arbore licet videre: quæ dũ liquor discedit,exiccatur: si auferatur ipsi sulphur,non amplius habet semẽ:si verò adimatur ipsi sal,caret coagulatione,ac dissoluitur,non aliter atq; vas carẽs circulis.Corpus dum augetur, transit in vnam essentiam siue naturam. vt pyrus, quæ vnum dũtaxat genus pyrorum seu fructuum profert, quemadmodum & reliquarum omnium arborum singulæ faciunt.Hoc tibi certissimè persuadeas,tot esse species fructuum in microcosmo,quot sunt in vniuersa natura.Ex quo sequitur,quòd quisquis nouit pirum, is quoque nouerit eius arborem & substantias tres, quæ sunt piricæ. Nec alia ratione sunt morbi intelligen-

di & cõsiderãdi: quorũ vbi aliquẽ videris,nõ aliter ages,ac si dicas,hoc est pirũ, hoc est malũ, hoc est illud aut illud.Cõsiderabis eũ quippe in tribus suis substãtijs, quæ ipsum constituunt morbum,& arguunt cuiusnã generis sit arbor. Quare cùm hæc tria vnicũ constituant corpus,& non triplex, quæ tamẽ ipsa in sua vltima materia triplicẽ habent substantiam:itaq; & morbi sic cognscendi sunt, vt habeãt & Sulphureũ corpus, & Mercurialem liquorem, & congelationem ex sale:quæ tria ex alijs tribus prodeunt. Ergo medicina morbo apta necessariò ignis existet cõsumens, hoc est,ignis essentia : nec vlla est medicina sine igni. Sicut enim ignis ita tollit arboris Sulphur,vt nec Sulphur, nec lignum restet: sic quoque medicina erit consumens, non solùm in Sulphure, sed etiam in liquore & sale. Quia in morbo sunt ista volatilia:quin etiam si fixa occurrant,tamen medicinæ admodum subijciuntur, vt volatilia reddantur.De natura itaque horum,videlicet morborum, sic loquamur,vt singulis vnicum sit nomen, tanquam pomis. Dicimus enim, hoc est pirum,

rum,& omnia sunt expressa:illud est malum,eoque itidem nomine omnia sunt cõprehensa.Sic & reliquis omnib⁹ morbis appellandis & tractandis agemus. Si repereris morbũ leprã,dicas,illud est lepra,& sufficit tibi. Non enim illic considerandasunt frigus,calor,siccitas & humiditas.Nam ex illis nihil in corporibus nec substantijs crescit,quod considerationedignũ existat.Medicina enim trãsit in lepram,tanquam regeneratio,quę prorsus fit absque nostra cura & meditatione: non secus ac si plantaturus arborem,non inspicies eius calorem,formam,aliaque istiusmodi accidentia,verùm duntaxat obseruabis semẽ eius:reliqua sua sponte prodibũt:quia sunt vltimæ materiæ,sunt substantiæ,quæ sunt ipsius arboris vita:propterea etiam non sunt considerandaIta quoque ages in ifcteritia,appellabis eam suo nomine,nec iudicium feres,sitne calida an frigida,sed cura eius sit tãquã securis iam arborem excindens,vel quasi ignis volatilia consumens.Et quemadmodõ ignis exẽplum est in absumendo:ita etiam medicina esse debet,non in cõsideratione ca-

lidi & frigidi, verùm in tollendo. Hæc enim est natura & proprietas arcani. Et quemadmodum vna res vitam aufert, ita quoq; vna res & causa est, quæ morbum tollit. Quia pirum si decerpseris ex arbore, ipsa exoneratur. Talibus rationibus & causis auferes morbos, nõ inhærẽ do corpori & substantiæ piri, sed consideratione pediculi, quo pirum arbori adhæret. Sic itaque animaduertas quid sit medicina, & in quorum cognitione sit posita. Et quò melius rem intelligas exemplum hoc nota. Manifestè vides, quomodo hyems & æstas certis se mutuo vicibus sequantur: nunc calor excedit, nunc iterum frigus superat. Idem quoque in corpore humano expectes: attamen id propterea morbum esse nõ sequitur: sed ipsorum semper alterum naturali vicissitudine expellit alterum. Nam homo tã hyemi quàm æstati subijcitur, vt etiam si tempore hyemali vndiquaque cingatur igni, vt hyemem nõ sentiat, nihilominus hyems suas vires exercet, & non sinit eas supprimi, ac singulis mensibus diuersas ostendit: nihil hic prodest incluſum esse. Eodem modo &

do & æstas ipsum reuisit. Cur medicus illud non agnoscit? at cælestes huiusmodi cursus nō aliter sibi proponit ac si natura errasset, cosque arcere ac depellere studet. Quæ quidem ad malum, & non ad bonum tendunt, huiusmodi res videtur esse morbi: vt hyems homini noxia & aduersa est, sicut & æstiuus calor: reuera tamen nō sunt morbi. Eodem modo & stellæ suæ reuolutionis excitant calorem & frigus certis & interpolatis diebus, vt in febribus, ac alijs similibus. Quę obsecro huius potest alia causa esse, quàm cœlestis, quæ talia mouet? Medicus autē asscripsit microcosmo, ex propria quasi prodiret natura, ac cæli prorsus non meminit in quo certè errauit. Illud quidem verum est, sæpe hominem incidere in ardorem, qui tamen non est ex ipso, sed similis Soli existit, qui dum imperium exercet, continuè, nec ipsi, cui aduersatur, innatus est, verùm accidens. Solem qui vertit, etiam vertit vmbram. Vnde hoc obseruandum: Quotiescumque talis cœlestis calor incipit, animo cogitandum est, aerem borealē esse incluſum, ciusque obstructiones esse ape-

riendas,quò verum temperamentũ re-
deat.Discatis igitur vnde hominis calor
proueniat,in quo sunt omnia cælestia,
terrestria,vndosa & aerea.Hæc omnia v-
biæquali pondere fuerint coniuncta, &
composita, vnum corpus est, quod nec
calidum,nec frigidum existit. Attamen
calor alter prævalet alteri, qui oritur ex
stomacho,qui corpus calefacit.De calo-
re stomachi hoc scias,eum adeo ferueré
& concoquere, vt reuera externo igni
non sit admodum dissimilis. Nec dun-
taxat vnus est stomachus talis in corpo-
re,cæterùm singula membra continent
huiusmodi stomachum: Ergo & singu-
lis membris inest ignis, qui est ignis di-
gestionis. Ex hoc quotidianus nascitur
homini calor:non ex elementis,aut alijs
eius generis,quę sunt in corpore.Hic est
præstãs ille calor,quem digestio præbet:
quanto copiosiorem digestio habet ma
teriam digerendi, tanto magis augetur
calor:& quanto minorẽ, tanto frigidior
homo existit. Calor producit colorem,
qui in corpore latitabat,& microcosmũ
commouet ad florendum. Quis autem
ex hoc flore differet,hominem esse san-
gui-

guineum, quum ignis digestionis ipsum protrudat? Nec dissimili ratione calor quotidianus reliquos omnes calores producit, quorum alij sunt prima ætate, alij media, alij in senectute, multùm inter se differētes. At hîc obijci potest, eas esse cōplexiones. Sic prima ætas est sanguinea, media verò cholerica, alia phlegmatica, alia melancholica, aut aliquid tale. Hæc qui dicunt, non recordantur caloris digestionis, nec materiæ trium præstantissimarum substantiarum. Siquidem arbor quæque suos habet peculiares flores, sic & homo: hos flores falso canone vocant complexiones. Ergo idem in his rebus obseruandum est, quod in natura & omnibus huiusmodi crescentibus rebus. Vnde sequitur, non esse gradus, sed species: in certas distinguentur species, nō gradus. Nullæ enim res exteriores retinent suum gradum, quem Platearius, alijque herbarij scripserunt. Quicquid in stomachū peruenit, si non præparaueris, ipse præparat (modò possit) & interrūpit omnia istiusmodi frigora, calores, aliaque similia, & inquirit arcanum, quia talia in stomacho

moriũtur. Quicquid verò moritur, hoc non ſuſcipiet curandũ medicus. Quod ſi autem ſtomachus nõ diſſoluat ac diſrumpat id quod accipit, ſignũ eſt ipſius imbecillitatis & morbi. Nec medicina tunc bona eſt, quia non corrumpitur in ſtomacho, in quo debet corrumpi. Medicinæ autem calidæ, vt radices, & alia ſimilia peſte laborantibus traditæ, ſi non putrefiant, nihil boni præſtant: ſi profutura ſint, neceſſariò putreſcunt. Qua de cauſa iſtu non reſtituũtur ſanitati, quorũ ſtomachus non corrũpit. Ex quo ſequitur, quo celerior putrefactio, eò celerior ſanitas. Quæ putrefactionem impediũt, eadem & ſanitatem. Malus eſt ſudor, qui expellitur medicina non putrefacta, nec tendit ad vitam. Ergo animaduertendũ eſt, eas res, quæ ex cõplexionibus & gradibus ſtatuuntur & conſiderantur, nihil negocij in corpore habere. Nam in ipſa corporis radice nec calidi, nec frigidi ſunt morbi. Aduerſus quid igitur pugnaret calida vel frigida medicina? Oportet decerpere pirum ex arbore frangendo pediculum.

Caput

Caput II.

ARcana igitur non sunt res veteres, sed nouæ: non veteres natiuitates, sed nouæ. Veteres generationes siue natiuitates sunt substãtiæ & formæ rerum externarum in hoc mundo, quæ nobis vt omninò nõ prosunt, nisi dissoluantur ac rumpantur, & nouæ fiant formæ, ita oportet quoque vt omnem veterem naturam & proprietatẽ amittãt, tam calorem, quàm frigus. Hoc est, Nisi solatrum amittat suam frigiditatem, nõ potest esse medicina: & vt vno dicã verbo, nisi vniuersa vetus rerum natura moriatur, ac transeat in regenerationẽ, nulla inest medicina: ipsa verò mortificatio est principiũ dissolutionis & separationis mali à bono. Vnde posterior natiuitas, id est, renouata medicina, permanet liberum arcanum, absque omni complexione alijsque similibus. Quare errãtes medici inquirũt, Gradu nimis alto ne vtaris? hoc est, Quicquid primò efficere poteris, id nõ conaberis tertiò vel quartò præstare. Causa verò hæc est, quia stomachus non potest res supremorũ graduum putrefacere propter imbecillita-

tem enim non poteſt eas ſuperare. Alioquin ſuis rationibus ſuperiores tãquam cõmodiores probarẽt. Sic quãto gradus foret frigidior, tanto melior quoque, & ideo minor doſis porrigeretur. Quapropter magnus error ibi committitur, cùm volunt dici, hoc maioris altioriſq; caloris exiſtit, quàm illud, quum duntaxat vnus ſit gradus frigoris. Melius dicerent, Iſta herba habet niſi ſemunciã frigoris, illa verò quatuor, modò æquale pondus accipiatur. Ex quo ſequitur: Accipe frigidum, vt inueniſti, vnam eius drachmam porrigas contra calorẽ. Cæterùm peculiares quia herbas coguntur habere: non portulacam, ſed nenuphar: non chamomillam, ſed piper: eo ipſo ſanè teſtantur, ſe non calorem ſed frigus quærere, ſed arcana, quæ arbitrãtur ipſis eſſe gradus. Quòd ſi certò ipſis cõſtaret vnicum eſſe frigus, vnicum calorem, vnicam humiditatem, & vnicam ſiccitatẽ, à propoſito ſuo deficerent. Sin verò probari poſſet duplicem vel triplicem eſſe frigidam ſubſtantiam, calidam ſubſtantiam, humidam ſubſtantiam, & ſiccam ſubſtantiam, cogerer palmam ipſis tribuere.

buere. Iustis profectò omnibus probant, magnum esse commissum hactenus errorem in gradibus obseruandis, & rerũ complexiones nõ rectè intellectas, quæ nomine quatuor, vna sunt res. Humores quatuor posuerunt, qui vnicus Mercurij liquor existit, qui non est simplex & vnica substantia, verùm quadringentarum naturarum, proprietatum, operationũ & similium: nec ipse solus est rerum causa, verum etiam Sulphur & sal cum eo. Singuli enim morbi componuntur ex istis tribus. Quid verò Sulphur & sal cõmoueat ad morbos, certis capitibus tractabitur. Nam eodem modo cuncti oriuntur morbi, Lucifer è cælo deiectus, ex propria superbia, quæ omnia bella excitat intestina: Mercurius dum sese extollit suo liquore, qui valde magnus & admirabilis est. Quia Deus ipsum creauit mirabiliorẽ cunctis rebus. Hic quoties ascendit, ac minimè suis in gradibus permanet, initium est discordiæ. Eadem est ratio Sulphuris & salis. Quoniam sal dum exaltat se ac separat, quid aliud est, quàm res mordax? Vbicumque cõsistit superbia, ibi rodit ac mordet, ex qua ro-

sione & consumptione nascuntur vlcera, cancer, cancrena, & eiusdem generis alia mala. Quod si permaneret suo in gradu, nunquã homini cutis aperiretur. Sulphur quoque, dum in suam transit superbiam, liquefacit corpus, non secus ac Sol niuem sibi obiectam commodo in loco. Mercurius adeo fit subtilis, vt nimis altè ascendat: ac ex nimia subtilitate gradus longè naturales excellente, subitaneam efficit mortẽ. Sic enim ratione ordinatum est, vt maneãt suis in gradibus absque superbia: sic quoque natura sine eadem superbia in suo officio. Verùm adeo varia sunt capita, & sentẽtiæ, vt rumpant violenter istos gradus. Nihil certè perpetuum erit inter carnales creaturas: propterea etiam necessariò dissoluuntur per multiplicia munera, virtutes & vires, quæ ipsis insunt. Nec aliter sanitas se ipsam dissoluit, ac regnum, quod discordia diuiditur ac perit. Vnde colligendum nobis est, vniuersas res eiusdem esse valoris: carbunculum non præstare topho, pinum non esse cypresso deteriorem: quod verum esse probat naturæ lumen. Qui primò

tum

aurum prętulit argēto, fecit id auaritia. Nam æquè magnum eſt argento tributum donum ac auro. Itaque illud non ſapientia naturæ factum eſt, verùm prudentia rerū caducarum. Mors verò cùm videt regni interitum inſtare, inuadit illud. Sicut enim regnum interiturū alienas incidit in manus: ita quoque trium quoties ſubſtantiarum amicitia & concordia diſſoluitur, adeſt continuò mors tanquam vicinus, ac de hora in horam, de die in diem pro ſua induſtria corpus inuadit, donec omnes partes ordine accipiat, & ſubſtantia vincat ſubſtantiam, ac poſtremò cuncta vi occupet, totiq́ue dominetur corpori: tum demum nemo poteſt ipſam abigere, nec vi depellere. Vbi autem illud nondum contigit, ſed aliquas duntaxat partes poſſidet, ibi medicina naturæ eſt auxilio, quò natura vires recipiat. Hac ratione quicquid ſal corroſit, hoc ſanat conſolida: & quicquid Sulphur in diſſolutionē adduxit, hoc reſtaurat cfocus: & quicquid Mercurius nimium attenuauit ſubtileq́ue fecit, illud ſolidum & craſſum efficit aurum: atque hoc modō ſuccurritur natu-

ræ. Quemadmodum verò nullum expugnatur regnum absq; magno eius damno: sic quoque caro, quam rosit sal, ad paupertatē redigitur, nec vllum potest resarcire damnum. Quod etiam in reliquis euenit. Quare magna diligentia & industria est adhibēda, quò corpora ista in sua naturali cōstitutione permaneāt, quę alioqui facilè aut omninò corrumpuntur, aut saltē duriori aere offenduntur. Tanto enim Deus nos munere donauit, vt medicinam à condito mundo habuerimus in hanc horam, & ad finem vsque mundi simus habituri, ea potestate, virtute & efficacia, quam tribuit suis Apostolis in curandis infirmis. quæ profectò cura ducit originem ex præcepti virtute. Medico igitur hoc ipsū est mandatū, quod olim Apostolis: & præcepto quum subiectus viuat, cogitur verū quoque præceptum sequi, docere, ac scire. At multi fiunt adulteri, id est, cōplures violant præceptum diuinum, nihilque faciunt illud. Cui verò istos comparabo? Dicto huic Christi, Natio praua & adultera signa quæsiuit, & nihil voluit boni facere: quapropter signum illi nullum dabatur

dabatur nisi Ionæ, qui in vtero piscis delituit. Sic & isti medicinam inquirendo debēt scrutari in terra, quemadmodum Iudæi resurrectionem in Cete. Adeo ars est varia & certa, tres substātiæ, Sulphur Mercurius & Sal, vt seipsas demonstrent in quatuor generationibus, dum in naturam matris & elementorum transeāt, ipsamque induant, quo significatur omnia ex quatuor elementis prodire. Ex terra herbæ, ligna, & alia eius generis oriuntur: Ex aqua metalla, lapides, & eorum mineralia: Ex aere ros, tereniabin: Ex igni fulmē, nix & pluuia, quæ cōmendo meteoricis, quę ex lumine naturę cō scribuntur. Vnde microcosmus in dissolutionem quādo peruenit ac redigitur, ex ipso fit terra, quæ adeo est mirabilis, vt fructus suos gignat breui tempore ex semine ipsi mandato. Hæc est illa præparatio, quam medicus scire debet. Similiter & ex hoc corpore fit alterum elemētum, aqua: quæ mirabilium cùm sit mater, Spagyrus ex ea conficit rubinos. Nec alia ratione præparatio elementum tertium, ignem tribuit, ex quo grādines extrahuntur: & aerem, qui in occluso vitro

ex aſcendente ſpiritu rorem conficit. De hiſce generationibus multi inceperunt tractare, verùm cito deſperarunt. Non ſanè decet ſuem verſari in agro, vbi rapę proueniunt. Eſt præterea & alia trāſmutatio, quę omnia genera Sulphurea, Mercurialia, & ſalia efficit: quemadmodum minoris mundi officium eſt, manifeſtè illam oſtendere, in qua magna ſanitatis humanæ pars ſita eſt, vt eius aqua vitæ, eius lapis philoſophorum, eius arcanū, eius balſamus, eius aurum potabile, ac ſimilia. Et vera quidem hæc ſunt. Siquidem ea omnia ipſi inſunt, ſicut etiam in exteriori ſunt mundo. Et quemadmodum rurſus ea in mundo exteriori habemus, ita quoque in interiori omnia iſs ſimilia exiſtunt. Quod ſi intelliges: Nullam rem eſſe adeo atram, vt non contineat candorem aliquem in ſe: & nihil adeo candidum, quod non contineat nigrorem: quæ ratio eſt omnium colorum. Vt ergo iſti colores producuntur in lucem, ita & prædicta. Sal quidem eſt candidum, attamen omnes in ſe continet colores. Sulphur ardet, propterea omne oleoſum ipſi ineſt. Mercurius eſt

liquor,

liquor, ideo omnes ipsi humores insunt: quæ ratio & in reliquis obseruanda est, quæ omnia philosophiæ cõmendo. Qua de causa homo sui ipsius est medicus. Quandocumque enim ipse suppetias fert naturæ, illa vicissim necessaria suppeditat, sicque largitur ipsi fundamentum pro vniuersæ anatomiæ ratione. Si enim diligentissimè omnium rerũ causas inquiramus, scrutemur & meditemur, inueniemus nostrã ipsorum naturam nostrum esse medicum: hoc est, ipsa in se omnia continet necessaria. Inspicias extrinsecus vulnus, quid ipsi deest? Nihil sanè, nisi quod caro debeat ab internis extrorsum crescere, & nõ contrà introrsũ. Vnde medicina vulneribus solùm est aliquod defendens, ne aliquid mali extrinsecùs accidat naturæ, impediaturque suis in actionibus. Hoc modo natura curat sua, natura ordinat sua, natura extruit sua, vt demõstrat chirurgia, peritusque docet medicus. Quia mummia est ipse homo, hæc mũmia est balsamus, qui vulnera sanat. At mastix, gũmi, lithargyrium, aliaque eiusdem generis, ne carnis vnam micam efficere pos-

sunt, solùm inest ipsis facultas (vt modò diximus) defendendi naturam, quò liberè faciat suum officium. Eadem quoque naturæ est ratio in corpore, internisque morbis curandis, vt, si modò defendatur, ipsa sit ea, quæ suos morbos curet. Ipsa enim nouit, quî debeat eos tollere, medicus verò non potest scire: igitur solùm defendat naturam. Vnde in natura tot sunt operationes, quot extra eam in scientia comprehenduntur: ipsi innatæ sunt, nos per doctrinã assequimur. Tantum ab ipsa accipimus, vt eadem possimus quę ipsa. Hoc declarat nobis, duplicem esse medicinam sua in potentia: alteram in medicina maioris mundi, alteram in homine: quarum illa est sita in defensione, hæc in curatione. Si nos naturam defendamus, ipsa necessariò habebit scientiam. Quia sine scientia non potest sanitati restituere quicquam. Si constat nos in defensione vti sciẽtia, debemus quoque curando sanare. Antea enim locutus sum ex communi medicorum vsu, errantiũ consuetudine probato. Quare duo sunt genera medicorũ, quorũ alij suam naturæ tribuẽtes scientiam,

tiam,solùm defendentia (quãuis semetipsos non intelligant) vsurpare solent. Deinde sunt alij curatores,qui naturę vtuntur scientia.Vt si quis vulneratus sit, duæ sunt viæ sanandi,defensio, & curatio. Defensio ita se habet, quemadmodum prædiximus.Curatio autem in hoc est sita, vt vulnera fiant stomachus: hoc est,vulneribus vt imponatur medicina, quæ transmutetur in carnem : quæ medicina dum vulneribus immittitur, cõtinuò natura prodit foras,ac redigit cõuertitque illam in carnem,ita vt stomachus sint ipsa vulnera: nam absque stomacho talia fieri nequeunt.Hęc autem in Chirurgia latius explicantur. Idem obseruabitis etiã in omnibus alijs morbis,videlicet quòd altera scientia in medico existat,altera in microcosmi natura.In istis omnibus & illud sciendum est, hominẽ & res externas amicitiam, concordiam, & naturæ cognitionem habere,in hoc,vt se inuicem excipiant & amplectantur: Hoc est, homo callere debet in naturæ cognatione,quæ sese inuicem excipiant & amplectantur: sic enim anatomiæ peritus erit. Homo quã-

doquidē ex limbo factus est, ac limbus exiſtit vniuerſus mundus: animaduertemus ſimilia ſimilibus delectari, eaq; amplecti. Nā homo ſi nō eſſet natus ex hac vniuerſitate, eiuſque ſingulis partibus, nullo modo eſſet minor mundus, nec aptus foret ad recipiendum ea, quæ ſunt in maiori mundo. Cæterùm ex hoc cùm originem duxerit, omnia iſta homo eſt, quæ in alimentum ex ipſo ſumit. Quia homo ex ipſis natus eſt, propterea quoque in ea conuertitur, & ea viciſſim fiūt homo. Siquidem homo ex nihilo non eſt factus, ſed maiori ex mundo: vnde etiam in ipſo conſiſtit. Hinc ſequitur, vt ex quocunque genitus ſit, ex eodem etiam viuat. Si ergo eadem ſit ratio inter hominem & mundum, quæ inter filium & patrem: profectò neminem magis decet filium alere, quàm patrem. Vnde membrum externū eſt medicina membro interno: ſingulaq; membra illa ſuſcipiunt, quæ in reſpondētibus ſunt maioris mundi, & omnes humanas proportiones, diuiſiones, partes, membra, tanquam ipſe totus homo. Ideo etiam homo iſta in alimentum ſumit vnà cum

cibo

cibo & medicina, quæ solùm differunt medio corpore, figura & forma: in scientia verò vnum est medium corpus, vna forma, & vna figura, quantum ad physicum corpus attinet. Itaque humanum corpus excipit mundanum, quasi filius sanguinem patris. Quoniam sanguis est vnus & idem, anima tantùm separatus, scientia coniunctus. Ex his sequitur, cœlum ac terram, aerem & aquam, in scientia vnum esse hominem, qui vicissim vnus est mundus perfectus ex cœlo ac terra, aere & aqua, alijsque similibus conflatus. Vnde Saturnus microcosmi suscipit Saturnum cœlestem: sic Iupiter microcosmi Iouem cœli, quos cœlum, non cõiunctio separat, excipit: sic meliſſa terræ meliſſam microcosmi amplectitur, & cheiri microcosmi, maioris mũdi cheiri. sic cachymia aquę cachymiã microcosmi excipit, & talcũ microcosmi talcũ aquæ: sic ros aeris rorẽ microcosmi, & tereniabin hominis tereniabin aeris. Istius modi concordia res vniuersæ cohærent. Cœlum itaque & terra, aer & aqua sunt vna res, non quatuor, non tres, non duæ, sed vna duntaxat. Vbicumque ista con-

iũctim nõ accipiũtur, ſunt diuiſa in fruſta & partes. Ex quo colligimus, accommodaturis iſta rei medicę ſemper in medicamentis adminiſtrandis obſeruandũ eſſe, nos totum ibi mundum porrigere, hoc eſt, omnes virtutes, cæli ac terræ, aeris & aquæ. Cuius argumentum & hoc eſt. Quotieſcumque morbus inuaſit corpus, omnia coguntur membra etiam ſana cum ipſo pugnare: nõ vnum aliquod ſolum, verùm cuncta: morbus eſt omnium ipſorum mors. Quod ſcit natura, quæ propterea omnibus etiam viribus reſiſtit morbo, ac, ſi poteſt, ipſum repellit. Ita quoque medicina neceſſariò continebit vniuerſum firmamentum inferioris & ſuperioris ſphæræ. Vnde perpendas quãta vi natura cum morte pugnet, quum cælum & terram, omnesque ipſorum vires & virtutes inuocet, ac aſſumat in auxilium: non ſecus ac videtis animam omnibus ſuis viribus cogi pugnare cum diabolo, & Deum in auxiliũ vocare ex toto corde, ex toto animo, & cunctis viribus, ſic & diabolo reſiſtere. Eodem modo & natura tot tantiſque ſolicitudinibus & auguſtijs premitur,

mitur,vt omnia in auxilium ſumat,quę-cumque Deus ipſi conceſſit,ad mortem arcendam & repellendam: adeo mortẽ illam terribilẽ amariſſimamque auerſatur ac reformidat,quam ipſa horridam apertè cernit. noſtri quidem oculi non vident, nec manus palpitant: ipſa verò mortem videt,tãgit ac nouit. propterea implorat ac aſſumit ſibi auxilio cunctas cęleſtes ac terreſtres virtutes,quò poſſit morti truculẽtiſſimę reſiſtere. Eſt enim mors valde horrida,truculenta & ſeuera,quæ ſuum adeo creatorem Chriſtum terrefecit in mõte Oliuarum, vt ſanguineus ſudor ex corpore ipſius effluxerit, cùm Patrem rogaret vt ipſam à ſe tolleret. Itaque non immeritò & natura creaturarum ipſam maximo cum horrore metuit. Quo enim mortis cognitio maior habetur, eò quoque maior eſt cura, cuſtodia & inuocatio medicinæ, quam ſapiens inquirit.

Caput III.

HOc itaque maximum eſt compoſitum,id eſt vera medicina, quod(vt ſu prà dictum eſt)cõponitur ex cœ-

lo & terra, elemẽtis ac ipſorum virtutibus:Hoc eſt illud compoſitum, cui medicus ſtudebit, & quod diſcet: hoc eſt receptum,hoc eſt quod cõtinet omnia ſimplicia.non quidem cõſiſtit in numero & multitudine ſimpliciũ, ſed in compoſito,in quo totus externus homo collectus eſt:qui cùm ſit vnus, omnia remedia medica & arcana,omnes vires ſimul adſunt. Quę vires ſi adſint,morbis poſſunt reſiſtere:ſin minus, ipſarum arcana committimus inter ſe, vel omnino quieſcunt.Hæc melius vt intelligas,hãc obſerua ſimilitudinem.Ex vno ligni genere ſtatuarius ſexcentas ſtatuarũ formas efficit.Sic quoq; corpus humanũ, quod vnum eſt,ſexcenta morborũ genera parit,quæ omnia ex eodem formantur. Et quemadmodum ſtatuæ omnes vno igni conſumuntur: ita quoque intelligendũ eſt,vnam eſſe medicinam in magno cõpoſito, quę tanquam ignis operatur,& conſumendo immundũ ſeparat à mundo.Hac ratione magna compoſita ſunt cognoſcenda. Quum verò contrariæ(licet in bona diſpoſitione)ſumuntur medicinæ, ſucceſſus periculoſus eſt. Sic

quoque

quoque in hoc magno compoſito, mũdi omnes partes tribunt ſua: cœlum ac terra vires ſuppeditant, & microcoſmi totus homo, veluti mundus, in ipſo cõſiſtit, ac in vna gutta conſtat: ſic & homo cum omnibus ſuis membris, articulis, natura, proprietate & eſſentia, ſani & mali, morbi & boni in eo ineſt. Illud ſi in corpus aſſumat, ſui ipſius limbum accipit, ex quo genitus eſt: nutritur ſemetipſo, &, quantum ipſi deeſt, medium corpus coniungit cũ eo, ex quo deſumptus eſt. Hoc compoſitũ omnes excedit medicinas, non ſecus atque Sol omnes ſtellas. Quid Sol differt à Luna? quid dies à nocte? Solùm ſeparatione, qua Sol ad ſuum lumen diſpoſitus eſt, & Luna ad ſuum. Sic quoque cœlũ & terra, omnes flores, radices, lapides, gemmæ, omneſque res diſtinctæ ſunt. Similiter & medicus neceſſariò diſtinguet medicamenta, tãquam ſepararet tenebras à luce, diem à nocte. Ita enim medicus ſuam conſiderabit ac habebit medicinam: vt Moiſes dixit in libro Geneſeos, Deum Patrem ſingula ordine ſeparaſſe, hoc die hodierno, illud craſtino, aliud perendie. Cogi-

tandū certè est, nobis talia esse proposita, qualia Deo: nos quoque scientiā habere similem præparandi & seiparandi nigrum à cādido, lucidum à tenebroso, hoc est, medicinam ab excrementis: in quibus latitat. Sic enim Deus ipsū creauit. De operatione porrò (vt & ipsa explicetur) quid dicendum est? Non sanè aliter Deus vult nos eam accipere & intelligere, quàm securim ad arborem positam, reuera secantē. Nam eo modo vult suas operationes in arte medica intelligi, easque simili virtute & potentia agere & efficere, quà olim in terra sanauit homines, antequā vox perfecta ore prodiret, omnes illic infirmi restituebantur sanitati. Quamuis hîc multa forent cōsiderāda, vt maxima incertitudo & ignorantia medicorum: vt imperfecta cognitio medicorum, qui tamen ægrotis aliquid auxilij præstant: vt culpa ægrotantium, & multæ causæ in manu Dei occultæ, quas nunquam inuestigare possumus. Si ergo medicinę operatio sit vis adeo magna cum omnibus cœlestiū ac terrestrium sphęrarum viribus coniuncta: cuncti facilè intelligunt, nullā hyemem

mem consumere æstatē, nec etiam contra æstatem cōsumere hyemem: hoc est, nos non posse aquam elementarem per ignem elementarem auferre, vel abigere. Vt enim aqua non depellitur igni, sic quoque non depelluntur humiditas & frigiditas à caliditate & siccitate. Præterea elemēta nō sunt ipsi morbi, sed quasi arborum stoli vel ramuli, significantes morbos adesse. Pari modo & cōplexiones ita sunt impressæ, vt nulla alteris cædat, nec vlla reliquis depellere queat. Ita nec cœlum mouet terram suo loco, nec vicissim terra ipsum cœlum. Hæc simili modo in homine fiunt: quicquid gradū superat, illud accidens est, nō cōplexio. Quomodo autē res in eū perueniāt ordinē, certis in capitibus docetur.

Postquam sanitas, & homo ipse cum suis morbis descripta sint communi theorica & physica, ex qua omnes tractationes, quæ peculiariter de morbis scribuntur, petendæ sunt, communique huic theoricę tanquam firmissimo fundamento superstruendæ: sequitur iam, dicamus de morte, & eius irruptione, & quid illa significet. Cunctis rebus certus

permanendi præscriptus est terminus, tum ad bonum, tum quoq; ad malum. Ita Sancti suum habent certum tempus hîc ex terris & in terris viuendi, quo elapso amplius non erunt: ita & mali suum habent tẽpus. Omnibus denique rebus præscribit Deus suum terminum, quem nulla earum transire potest. Sic nec homo, quantumuis pius, iustus & vtilis populo, hanc vnquam metam superare potest: terminus vitę vbi adest, nihil aliud spectatur, quàm Surge & abi. Huius tẽporis, finis est mors, quæ semper nobis assidet, expectatque nostra bella intestina, quò possit alibi facere irruptionem. Nescit enim horam inuadendi hominẽ, vel quando debeat occidere: nihilominus adest parata, cum summa diligẽtia, tum maxima industria inuadendi, ne tẽporis minutum negligat, sed potius suo domino Deo, qui in cœlis est, obediẽtiã præstet. Quum itaque per se non nouerit horam nec minutum nostri termini, medicina depellitur: quamuis adeo instet semper, quia credit finem iam instare, ac sibi esse aggrediendum & inuadendum. Attamẽ sæpè cùm erret, accedit &

& re-

recedit. Licet cuncta apud nos sunt pulchra, bona & pura, læta & laude honoribusq; abundantia, nihil tamen aliud est, atq; thesaurus preciosus auri & margaritarum in cista, quem fur aufert, patrisque familiâs relinquit arcã inanẽ. Quia nullius illic habetur respectus, siue sit vtilis, siue inutilis, siue probus, siue improbus: vnica definitiua sentẽtia fertur, Surge, & abi. Quod si vel vniuersus mũdus ab vnico dependeret homine, ipse tamẽ Deus nihili id curaret, sed suam perficeret voluntatem. Quare nostra vita est inuisibilis quidam thesaurus, quẽ licet semper diligentissimè obseruemus, & vigilando custodiamus: quid tamen obstabit quò minus inter diligentissimas nostras custodias & curiosissimas vigilias huiusmodi fures clam eum auferãt? An non optimæ sunt vigiliæ, quoties æger decumbens nunc ad Deum cõfugit, inuocat auxilium, nunc ad medicum currit, petitque remediũ? quibus omnibus auxilijs fretus cùm minimè arbitrantur, vitam cum morte cõmutat, & hinc cõmigrat. An non & ille satis custoditur: qui rex est, habetque omnes vires suas

penes se pugnando contra hostes suos, castra firmissimè sera, vallis & fossis munijt, equitibus & peditibus optimè instructus?. Tandem verò, vbi arbitratur se tutissimum esse, trajicitur globo tormẽtario: iam mors adest, cuius officiũ est, varijs modis vitam nobis adimere. Beatus ille: quem ex hoc mundo tollit eo animo, quo Ioãnem Baptistam, Prophetas & Apostolos. Qua de causa diligẽter aduigilabimus & obseruabimus eam. Quia nos prouocat & promouet in iudiciũ, in quo reddemus rationẽ de minimis, ad minutissimum vsque quadrantem: atque ipsa est lictor & executor, qui vocat in iudicium Dei, in qua vocatione separantur anima & corpus. Quæ est ipsius alia in iudiciũ citatio, quàm hæc? Itote in iudicium ante faciẽ Dei, addita certa hora & die miseriarum, qua cælũ & terra contremiscent, & eleuabuntur, qua etiam die cornua excitabunt mortuos in iudicium vocatos: mors quoq; nos excitat, ac restituit id, quod eripuit. In ista vita sistimur coram tribunali vnâ cum lictore. Captiuitas & carcer eius est terra. Omnes enim in hoc terræ ambitu

peca-

peccatis obnoxij morimur: propterea cogimur ingredi captiuitatem, ac ea custodiri, donec iudicium incipiat, in quo sententiam expectabimus tanquam captiui homines. In ipsa verò vocatione spiritus migrat ad Dominum, corpus in terram. Quia nō est terra carcer spiritus, verùm solius corporis. Ita singula suis permanent in locis, donec iterum conueniant. Tunc enim ipsamet erunt rursus suo in sanguine propriaque substantia. Quid verò vlterius inde fiat, penes ipsum est, qui corpus & animam formauit, omnibus hominibus occultū. Tunc nullli amplius erunt morbi, nulla medicina, nullus medicus, nullus infirmus: istiusmodi omnia abrogabuntur. Interea verò nos (quemadmodū suprà dictū est) debemus nos conseruare, & ad scientias confugere, quo nostræ vocationis possimus reddere rationem.

Caput IIII.

ETsi nunc mortem, quæ vltimus est rerū terminus, indicauerimus, nondum tamen tractatio eius absoluta

est. Quia oportet latius explicare ea, quę cum morte cohærent, quò melius intelligantur ea, quę proposita sunt. Quare generali progressione latius explicandæ sunt triũ substantiarũ superbiæ, hoc est, quando transeant gradum in quo consistere deberent. Et primò quidẽ dicturi sumus de Mercurio. Hunc prædiximus, in homine liquorẽ esse, eumque variũ, vnde & variæ naturæ ex ipso prodeunt. verùm nunc porrò sciatis, tres duntaxat in eo vias esse dissolutionis, quarum vna est Mercurij eleuatio, quæ dicitur destillatio, altera est sublimatio, tertia præcipitatio. In hisce singulis vijs quamuis multæ sint species, tamen opus non est vt eas minutim enumeremus, sed præcipua tantùm capita sunt enumeranda. Quemadmodum tres isti modi sunt extrinsecè, ita quoque se habent intrinsecè in corpore humano: quæ naturæ est operatio. Ante omnia itaque de primo dicendum est, quid sit illud, quod Mercurium in triplicem exaltationem perducat, hoc est in tres illas vias, quibus seipsum sublimat, destillat ac præcipitat. Per se enim sua sponte nihil istorum facit,

cit,ſed neceſſariò aliquid extrinſecè aſſumit,per quod aſcendat,ſeparetque ſe reliquis à tribus. Cuius hoc nobis ſit exemplum. Lucifer non natura ſua habebat ſuperbiam, ſed aſſumpſit illam, propterea aſcendit ſuper alios:ita & hîc id non eſt propriæ naturæ,verùm,ſuo vt nomine illud appellemus,quod Mercurium naturali ex gradu deturbat, calor eſt,per quem aſcendit. Calor autem aduentitius eius triplex eſt: Primus eſt calor virtutis digerendi,qui eſt accidentalis,magnus & vehemens, Mercuriũ vincens, quem etiam in altum eleuat: Hoc eſt,dum ſuperat Mercurium,& impellit, non aliter agit,atque calor vehementiſſimus Solis, dum incẽdit lignũ & comburit.Sic ergo Mercurius aſcendit externo aduentitioque calore.Qui calor vna eſt cauſa, impellens Mercurium in tres illas vias prædictas iuxta ſcientiam ſuę magiſtræ,quæ eſt ars mechanica.Secundus calor oritur ex motu & agitatione corporis,qui non eſt priori inferior, ſed multò mirabilior & incertior.Quocumque tamen modo accidat, ſemper incendit Mercuriũ ac eleuat. Præter hos duos

& tertius est obseruandus, qui astrorum vi incendit Mercuriū, vnde colliguntur prædictiones subitaneæ mortis, aliorūque morborum Mercurialium, hoc vel illo anno, hoc vel illo mense aut die. Tres igitur sunt aduentitij calores, qui Mercurium exaltant, ex qua postea exaltatione morbi oriuntur, hoc est, suā conuertunt superbiam in mortem. Itaque oportet Medicum discere ac scire calorem astrorum. Sic enim poterit suos infirmos conseruare, ac pro ratione istorū trium præscribere victus rationē, & prę-seruantia cōficere. Ad hæc notandū est, Mercurium tribus incendi modis, humiditate, siccitate, vel depressione eius, qui humidus vel siccus esse potest. Singulis hoc inest membris totius corporis, & quot sunt mēbra, tot quoque Mercurij species existūt. Ex quo obseruabitis, plurimas ipsum esse diuisū in corporis partes, quarū singulæ propria habent officia: Aliud est intelligētiæ officium, aliud aspectus, aliud auditus. Vnde etiam sequitur, varias esse morborum naturas: Huic adimit Mercurius intelligentiam, alteri ligamenta, alteri linguā, sic & alijs alia.

alia. Idcirco calor hoc modo suas incipit operationes: corpus primò accendit, & quocumque potissimum ascendit, & vbi simul loca implet, ibi suas inchoat operationes, hoc est, ibi inflāmat omnia tanquam Mercurij fornax, in qua hic iaceat. Quod si calor ex repletione contingat, ac ipsa repletio adeo subtilis sit caloris, suo spiritu vt penetrare queat, ascendatque isto spiritu in cerebrum: calore sufficienter aucto Mercurius vltra suum amplius locū ascendit, lęditque omnia, quæ attingit. Sic etiā cor si accedat, hoc cogitur illius esse fornax ad proprij Mercurij expulsionem, vt prædiximus. Eadē ratione in homine vel optimæ constitutionis, si quotidie se impleat, vel præter naturam se exerceat, aut talis ascensus, qualem diximus, contingat: commouetur totū corpus, hoc est, omnia eius mēbra incensa sunt: Vnde Mercurius continuè ascendit ac descendit, mouetuŕq; vltro citroque destillando in corpore, tanquam in pellicano. Vbi autem peruenit in suū gradū, exercet suas nequitias: hoc est, postquā diu fuerit motus, adeoque subtilis effect⁹ (siue id fiat destillādo

in corpore, siue prȩcipitando, siue sublimãdo) vt in suũ ascendat gradũ: depellit suo astro, quod est corporis morbus & prȩsentissima mors. Ante hoc tẽpus autẽ id nõ facit, quia cogitur aliquãdiu ascendere, in orbem ferri, & prȩparari, antequam summũ in gradum perueniat: vnde iterum in profundissima cadit. In ascendendo autem si partem aliquam adipiscitur, ac in ea semetipsũ accendat, non quiescit, donec perueniat ad summam subtilitatem, quo tempore gignit morbos. Hoc modo Mercurius suo ex statu pellitur vi caloris in exaltationẽ, quȩ nihil aliud est, quàm depulsio: quod est morborum (veluti diximus) semen. Tres verò eius sunt modi, vnus mortem subitaneam eiusque speciem efficit, quæ est destillatio: Alter gignit podagrã, chiragram, arteticam, quæ est Mercurij prȩcipitatio: Tertius facit maniam, & phrenesim, quæ est sublimatio Mercurij. Quorum omnium tractationes suis in libris cum omnibus formis, quæ illic etiam explicantur, sunt descriptæ. Itaque multiplex est vltima materia earum rerum, quæ suum trãseunt gradum. Nam

variæ

variæ ſunt mercuriales, varia officia, & variæ partes: quorum omniũ multiplex natura, proprietas, conditio & cõſuetudo. quæ ſi concurrãt, mirabiles morbos cum admirandis ſignis, geſtibus & moribus, aliſque ſimilibus pariunt. Adeò ſubtilis fit Mercurius iſtiuſmodi præparatione, vt nemo ipſi poſſit reſiſtere propter vim internæ naturæ. Cuius iterum cauſa improptu eſt: Sulphur & ſal non poſſunt ipſum coercere propter vehementiſſimum calorẽ, qui repellit hęc duo, & Mercurius adeo attenuatur, vt oſſa & carnes penetret, nõ ſolùm poros, verùm & aliis in partibus, tanquam ſudor, tranſit ac penetrat: Vnde ſciendum eſt morbi Gallici puſtulas, lepram, aliaq; eius generis mala oriri, ac ipſorum primam materiam & cauſam cum aliis cohęrentibus inde prodire. Quo autẽ modo fiant, ſuis in capitibus docetur. Quẽadmodum tam magno aſcendit calore, ita quoque animaduertendũ eſt, ipſum efficere varios rigores, calores, horrores & conquaſſationes, quoties eius paroxiſmus iucipit, aut aliqua tantùm ſpecies. Quia ſubtile & acutum adeò venenũ,

quum inuadit naturam, ipsa incidit in quādam desperationem siue terrorem, qui est corporis tremor prodiēs ex metu & rigore: calor simul mouetur, eò quòd sit obstructio, & nimis vehemens vapor, ceu in occlusa & feruēte olla, cuius operculum vi deponitur. Frigus est materia & natura omnis timoris. Vbi autem calor vires acceperit, frigus cedit calori in regnando. Varia igitur est Mercurij nātura, cuius substantiam & vires latius describere tempus quum non permittat, maiorem partem differo in aliud tempus, aliaque mea volumina.

Caput V.

HIs de vna trium substantiarum, videlicet Mercurio, absolutis, consequens est, vt etiam de altera, videlicet sale, eodem dicamus modo. Hunc in primis notandum est quatuor vijs mutari, quoties in suum tendit factum, resolutione, calcinatione, reuerberatione & alcalisatione. Sunt etiam salis multiplices naturæ, quæ multis & diuersis fiunt modis: quare etiā variæ sunt præparandi

ſpecies. Varia enim ſalia ſeipſa calcinãt & reuerberant: ſic etiam varia ſeſe alkaliſant & reſoluunt: quę omnia pari fiunt ratione in homine, qua extra ipſum in ſua ſcientia. Ante omnia ſcire hîc oportet, quid illud ſit, quod ſalita frangat & diſſoluat, vt in prædictas tranſeat præparationes ſummi gradus, in quem nõ deberet peruenire. Cauſæ verò ſunt tres: Prima eſt nimis magna cibi impletio, quæ digeſtionem impedit, ac partes corporis efficit nimis laſciuas, carnem lubricam, hoc eſt, nimium delicatæ, nimiumque mollis carnis ac medullæ, nimium ſanguinis & aliarum partium ſimilium. Hæc cùm nimis laſciuiunt, non poteſt ſal conſiſtere in ſuo gradu ac ſtatu, quo deberet. Perſimilis etenim eius eſt ratio, quæ arui eſt pinguis, quod nimis luxuriando perit, vt fructus celerrimè putreſcãt, aut quoties aruum pluuia maxima adeo irrigatur, vt fructus pereant, vel alia quauis ratione. Similiter quoque via ſecũda eſt intelligẽda, qua maior, quàm par eſt, luxus ſal in ſuam exaltationem trudit: quod maximè fit, quoties luxus coitus ſuam originem ſortitur ex medi-

cina pruritus,ſudoris & cruoris. Tunc enim magis augetur & exercetur: quæ exercitatione corpus nanciſcitur ſpiritũ frigidum,qui eſt ventus:hic ſal commutat in aliam ſubſtantiam,& præ reliquis maximè hoc facit. Nam ſpermatis ſuper fluum ſi tendat in ſuum fluxũ,ſalis frangitur ſubſtantia,& nimium ſubſtrahitur liquidi,vnde ſal tranſit in ſpiritũ, qui eſt alia ſubſtantia à priori. Tertia via ſal extrahitur per ſtellas,quoties ſal in earum incidit partes, exiccant quaſi ventus, & liquefaciunt ſalia ceu Sol grandines. Siquidẽ ſalia in corpore iacent, quaſi grando in agris,quorum conditio & natura eſt manere in eodem ſtatu, ſed non poſſunt reſiſtere aduerſis:itaque frangũtur & diſſoluuntur. Sal enim ita comparatũ eſt,vt nequeat reſiſtere:aliquod ſi occurrat contrarium,commutatur abundantia carnis,pinguedinis,ſanguinis,vel per eorum delicatam naturam, vel coitum, vel aſtra. Sunt etiam aliquod ſalis genera, quæ inſtar niuis liquefiunt, quoties aliqua talis vis cõtraria accedit:& in hũc modum liquefiunt,calor quoque adeſt in corpore,tanquam dictum eſt in Mercurio,

curio, qui sal resolutum ex corpore propellit. Nam iste calor multis de causis non relinquit sal resolutum in corpore, sed opportet id expelli: nec solũ illud, verùm & reliqua salia calcinata & reuerberata. Vnde sudor salsus existit, quia nihil aliud est, quàm huiusmodi sal resolutum. Hinc sequitur, alios sudores ex sanguine, alios ex carne, vel ossibus, vel medulla, vel alia parte aliqua corporis prodire. Sequitur etiam ista salia varias habere naturas, cùm ex ipsis nascantur serpigines, impetigines, pruritus, scabies, aliaque eiusdem generis, quę in chirurgia describuntur, quapropter & hîc illa omitto. Salia porrò naturæ tũc sunt calcinata, vbi liquidum suum amiserint. Tunc enim reuera sunt calcinata. Nam sal reuera calcinatum est in sua natura, vbi amisit sum temperatum humidum. Sic enim calcinatum iacet quasi alumẽ in sua præparatione, aut vitriolum, aut aliud aliquid. Eodem enim modo cogimini & hanc præparationem intelligere. Calcinatione incipiente, humidũ exhalat per sudorem. Est autem illud humidum, quod pruritum in cute excitat,

deinde aperit eam, postea sequũtur foramina. Quia tandem vbi sal non amplius ita humidum est, vt deberet, foras tendit, ac sibi rodendo foramina, aperit viam in eo corporis loco, in quo existit, vt latius in chirurgia docetur. Quod autem reuerberatur, aliud est sal, videlicet liquidum, humidum, quod in sua propria anatomia destillando seorsum mouetur, id quod reuerberatio appellatur. Quia nullus calor, nec externus aliquis luxus potest eius ingredi substantiam: cęterùm veluti oleum & aqua nequeunt misceri, ita nec alię res in huiꝰ salis substantiam miscendo transeunt. Spiritus itaque ipsius vltro citroque, sursum ac deorsum ferũtur, donec fiat mucilago siue viscositas. Tunc enim lõgè acutius factũ, quàm deberet, egreditur: hoc est, calor internus expellit eius substantiam foras, ac ipsum incipit foramina rodere, aliaque externa vitia efficit. Notabitis ergo, sal eò tendere, quò natura sua ipsũ ducit: vnde morbi complures scaturiũt, quos in chirurgia appello vulnera æruginosa. Nam quælibet ærugo foras protruditur per poros, ac in aere suas perficit

cit operationes. Præterea animaduertẽdum est, nulla in cute foramina, vel morbos externos fieri, nisi sal ista fecerit: illud verò semper foras tendere, quò perueniat in aerem, cum quo in cute operatur. Ex quo intelligitur quomodo sal variet, nunc hoc, nunc illo modo: Vnde vitia sicca, humida, fluentia, purulenta, eiusque generis alia oriuntur. Quamuis huiusmodi variè etiam nascantur, corrosione substantiæ medij corporis, nutrimento, alijsque similibus, quę hîc nõ est enarrandi locus. Ex sale quoque fiunt vulnera salis ambulantia, pergentia, corrodentia, crancrisantia, profunda, putrida, multaque similia: Itidem scabies, & morbi alij absq; foraminibus, vt alopecia, pustulæ, cicatrisantia, condilomata, & eius generis plura, sic & morphea, & lepra earumque species: semper pro natura salis morbi & dolores existunt: nec non pro natura stellæ, quæ suã hîc quoque protulit scientiam. Nam ipsa in sua exaltatione sal exercet ac commouet, aliaque plurima facit. Postremò cõsiderate, sal ia varias efficere formas, vt in cãcris, fistulis & cancrenis corrodentibus

cuenit, quæ profectò ex ſale oriuntur, quod eiuſdem eſt naturæ. Nam ſal cunctis rebus formam tribuit, veluti naturę lumen docet: Ac ſemper pro natura ſalis morbus eſt vehemens, longus, breuis aut mortalis, quæ omnia ſuis ſunt locis explicata.

Caput VI.

SImili ratione quatuor res frangũt & exaltant Sulphur, quæ ſunt quatuor elementa. Ipſius verò natura huiuſmodi eſt, vt humidum ſi elementum inuadat ipſum, ſimile fiat ei, hoc eſt, humidum & madidum, aut ſimile aliquid, prout talis impreſſio ex elemento aquę ipſi euenit. Sic etiam aer elementũ quoties ipſum in ſuam deducit naturam, fit ſiccum: & ex hoc accipit gradũ ſiccitatis, ſicut humiditatis ab aqua. Siquidem in aqua elemento exiſtit humiditas, in aere ſiccitas. Hi duo ſunt modi Sulphur exaltandi, pro natura duorum elementorum. Nec alia ratione intelligetis duo reliqua elementa, ignẽ & aerem, ipſum exaltare. Terra quoties ipſi dominatur,

efficit

efficit ipsum frigidum, eodemq; in gradu conseruat. Similiter ignis, hoc est, firmamentum, retinet illud calidum, vbi eo deduxerit. Quatuor ergo elementa sunt artifices quatuor, qui Sulphur trãsferunt in suam transmutationem, vt ab officio discedat suo in morborum generatione: quorum multa nascuntur genera, vt aliud frigidum, aliud calidũ, aliud humidum, aliud siccũ: & rursum in quolibet genere multę fiunt species pro natura materiæ Sulphuris, quæ inuaditur suis in regionibus & membris. Vnde Sulphur fit frigidum, & per idem elemẽtum volatile & fixum. Frigus autem hoc multiplex & varium est, congelat, resoluit, coagulat ac dissoluit, quæ ex quatuor elementis accipit, quamuis omnia vno elementi terræ intelligantur nomine. Quandoquidem ex aqua, vna frigoris pars prodit, ex igne vna, ex aere vna etiam pars. Singula igitur elementa vnam frigoris partem conferunt, nihilo minus solum frigus vocatur elemẽtum terra: quod fit certis de causis, quas philosophiæ committo. Quare frigus considerabitis in rebus ipsis, quæ frigore v-

nam habent ſubſtantiam. Quia vna eſt duntaxat frigiditas, non multæ: ponderaquidem ſunt plura, vt in vna re plus ſit frigiditatis, quàm in altera, vnde frigidior etiam apparet, nihilominus tamen vnica eſt frigiditas. Quantum verò ad ſubſtantiam attinet, in duas ſpecies diſtribuitur, in duram & humidam. Dura iterum eſt duplex, congelata & coagulata. Ita quoque humida duplex, diſſoluta & reſoluta. Cōgelatio fit per humidam frigiditatē, vt aquæ gelu conſtrictæ, niues, grandines & ſimilia. Sic quoque in Sulphur exigni elemento euenit congelatio, cum certis morbis & eorumdem formis, qui non immeritò niui, pruinæ ac grandinibus ſimiles ſunt, ac ſimili ortu ſunt intelligendi, hoc eſt, vna ex parte aſtris eſſe genitos, vocariq; frigidum ignem. Quia ignis eſt firmamentum. Coagulatio autem eſt alterius frigiditatis, quæ originem ducit ex aqua. Eſt quidem alia frigiditas, attamen vnius gradus cum frigore ignis: Vbi ſuam in operationem peruenit, omnia ſibi ſubiecta coagulat. Coagulationes hæ in hoc ſeparantur à congelationibus, quod coagu-

latio

latio sit fixa, congelatio verò volatile. Quicquid enim ex aqua elemẽto fit, illud totum est coagulatum. Ac frigida quidem est huiusmodi cogulatio, veluti cernitis corallos coagulatos, alumina, entalia, & his non dissimilia vitriolata, salia, aluminosa, aliaque eius generis. Eodem in statu sunt & morbi proueniẽtes ex frigiditate coagulata, hoc est, frigiditate aquæ. Ex aere etiam oritur frigiditas, quæ sua substantia nec est congelata, nec coagulata, sed est solùm ventus. Quẽadmodũ Boreas & Zephyrus frigiditatem inferunt calori, sic quoque hoc elementum natura comporatum est. Propterea etiam, quòd partem obtinet frigiditatis in flatu & vẽto, excitat in corpore ventosas frigiditates, chagas frigiditates, flatus frigidos absque tactili & visibili substantia, quæ suos peculiares habent morbos cum suis speciebus. Pari ratione & terra propriè ac per se accepta possidet generationem morborum, quę ex ipsa proueniunt, eo modo, quo frigidæ herbæ ex ipsa oriuntur, veluti solatrum, rosa, lactuca, portulaca, aliæque similes: quæ sicut à se inuicem sunt sepa-

ratæ, ita quoque morborum genera & ſpecies. Vnde & in homine vobis tenenda eſt ſcientia ſeparādi quatuor elemēta, vnà cum cautione prædicta ciusque noticia. Nec aliter elementum ignē, ſiue calorem intelligetis, hoc eſt ignem quoque ſcrutabimini in quatuor elemētis. Quoties itaq; Sulphuris inuenitur morbus, habet vnius ex quatuor naturā, pro Sulphuris naturali officio. Si accendat ipſum ignis elementum, qui ineſt firmamento, fulgureus ſeu tonitruus lapis id facit. Vnde neceſſariò ſequitur, Sulphur non ſecus atq; arborem fulmine ictam, conflagrari. eodem modo firmamenti operationes omnē ſenſum fugientes in noſtris corporibus aduerſus nos agunt. Quemadmodum enim Sulphur arborū accendit, ita & Sulphur in homine: ac quodcumque membrum inuadit, eidē dominatur. Eſt quoque alius in aqua ignis, qui non minus incendit Sulphur, atque ille cœleſtis. Nam ſilex, calcedonius, aliaque ſimilia ignem ſi continent, aliiſque tribuunt: neceſſariò etiam hoc elementum internum habēt, quem nos non videmus. Siquidem elementis ineſt fabrica-

fabricator, qui noſtrum ſub aſpectũ nõ cadit, nec comburit, veluti in multis declaratur morbis. Elemento terræ ineſt ſimiliter ignis, qui Sulphur ita incendit, vt ipſi cernitis. Sic flammula & vrtica ex terra proueniunt. Quantas verò herbæ iſtæ, aliæque huiuſmodi, vires exerceãt, quoties phyſicũ attingunt corpus, minimè vos latet. Iſtiuſmodi quoque generationes in homine fabricantur, quæ omnes ſuis capitibus indicantur, & ex ipſis varia morborum genera intrinſecè & extrinſecè oriuntur, re vera inter ſe differentia, vt morbi mercuriales & ſalini, de quibus peculiaris libellus eſt conſcribẽdus. Nam alius morbus eſt flammulæ, alius piperinus, alius aronicus, & ſic de reliquis. In aere quoque calidum eſt elementum ignis, non ſecus ac de frigore dictũ eſt, ex ignea & aſtrali natura, quæ ignitos efficit morbos, hoc eſt, ſui elemẽti morbos. Præterea coagulatio eſt in igne firmamenti, & aquæ & terræ. Quiſque enim calor ſolus coagulat. Vnde tres coagulationes ex terra ſunt: & paruulum arenæ granulum ex aqua ortum ſimile eſt calidis mineralibus, & vna eſt

coagulatio ex igne, quę eſt impreſſionis. Sic in frigiditate aqua elemẽtum ſuam habet coagulationem, veluti coagulatio eſt ſolatri & ſimiliũ. Habebitis quoque humiditatem ex quatuor elementis, id eſt, vnam ignis, vnam aquæ, vnam terræ & vnam aeris, quæ omnes ita ſe habẽt, vt prædiximus. Vnus itaque gradus elementi, & vna eſt cauſa ipſius morbi, videlicet vnica, cũ quatuor tamen morborum generibus, quorum alius eſt humidus ex humiditate ignis, alius ex humiditate aeris, alius ex humiditate terrę, alius denique ex humiditate aquę, cum ſuis ſingulorum ſpeciebus, quę ſub ipſis continentur. Ita quoque ſiccitas quadruplex obſeruanda eſt ex quatuor elementis. Nam aliæ ſiccitates ſunt ex igni, aliæ ex aqua, aliæ ex aere, aliæ ex terra, vt morbi ſicci demõſtrant. Sunt enim quatuor primi & principales morbi, frigidus, calidus, ſiccus & humidus. Qua de cauſa non immeritò ſinguli morbi hiſce gradibus incipiunt & intelliguntur. Et quamuis non certo ordine, neq; hac methodo à nobis in hac theorica deſcribantur, tamen certo, & vero ordine traduntur

duntur alio loco, vbi ipsorum practica docetur. Et quòd hoc loco omnia quàm pauciſſimis abſoluamus, ratio eſt, quòd ſingula alibi plenius explicentur, vt de cōplexionibus & gradibus alijsque naturalibus, quæ maximè attingunt philoſophiam. Attamen hoc addemus, certos naſci morbos aliunde, quàm ex elementis, qui tamen elementorum ſimiles apparent. Vt ſal dum ſeipſum calcinat, ac humido corporeo incenditur. Vnde fieri poteſt, ac fit etiam nonnunquam, vt ſuum acēndat Sulphur, in quo conſiſtit, idque non vno, aut hoc tantùm fit modo, verùm & omnibus alijs. Quapropter huiuſmodi res ſignis agnoſci & diſcerni debent. Qui autem hæc diſcrimina non nouit nec intelligit, immeritò iſta ſigna percipiet, quæ de bellis iteſtinis declarabuntur ſuis in locis. Quare & reliquos videte & conſiderate libros, non ſolùm quantùm ad ipſam attinet deſtributionem, ſed & alia multa. Titulus etſi de tribus ſit, id eſt, de agendo vel fieri per ſe, de accidentibus, & de fine: nihilominus & alia obiter intelligentur accidentia generalia, quæ non ſolùm continent ſym-

ptomata externa, aut temere contingẽtia, verum etiam elementa, & eius generis plura. Nam morbus si nominandus sit, etiam indicanda sunt ea, quæ ipsum efficiunt. Quare ordo integraque tractatio istis in capitibus docetur, quæ sunt de illis morbis, licet hic liber eum ordinem non sequatur. Quia libri hi permanẽt in sua theorica & physica: fortè, aliâs aliter practica suis in voluminibus tradetur.

Caput VII.

PRæter prædictas formas omnes, restat adhuc & aliud morborũ genus, cuiusmodi duo hoc traduntur capite, alterum ex semine spermatum, alterũ ex specifica ortũ forma, quæ non modò vtilissimè, verùm etiam necessariò discuntur, & à se inuicem destinguuntur. Constat vobis, res vniuersas in primis substantijs tribus consistere, vt prædictũ est: In ijs autem rebus peculiare aliquid accrescit substantiæque à natura inhæret, quod tamen nõ est ex illis rebus, quę hactenus sunt tractatæ. Quod ita intelligendum

gendum est. Sunt res, quæ sudorem excitant, laxant, vrunt, aliaque similia faciũt, quæ profectò summa diligentia debent perpendi. Quia vocantur ægritudines specificæ, quę non oriuntur prædictis ex causis, verùm innascuntur, eiusque sunt naturæ, vt aliæ moueant sudorem, aliæ laxum reddant, alię alio modo efficiant. Similiter animaduertendum est, ex sperm ate multas fieri generationes, quæ vel non obseruantur, vel ignorantia alijs assc ribuntur rebus. Id enim campho-ra, sperma ceti, aliaque plurima probãt. Ex hac causa originem sumunt morbi vesicæ & renum. Et quamuis tartarum sit lapis, vel potius materia eius, tamen ibi non mutatur ita in lapidem, nisi frigiditas spermatis ipsam congelet, vel ca lor diaphoreticus spermatis, quod est coagulatio. Caliditatem & frigiditatem hîc non intelligemus eo modo, quo antea sunt traditæ, sed obseruabimus sperma propriam habere anatomiã & physicam. Destributio autem prorsus vna & eadem est, quæ suprà est dicta. Quæ verò hîc insuper oporteat scire, suis capitibus proponentur. Hi duo morbi pe-

culiare caput requirunt. Nam & hac ratione possunt ab alijs distingui morbis. Quicquid innatum est, hoc sanare non possumus: Specifica autẽ & sperma sunt innata: Igitur hoc, quod sunt, natura existunt, ac radix suam vegetandi facultatẽ retinet. Cœcitas verò non innascitur, etiam si cœcus prodeat in hãc lucem: qui licet aspectum non habeat, attamẽ ipsa potentia inest ipsi, etiam si non sit suo in vero loco, quod solùm est causa cœcitatis, vt appareat cœcus nasci, qui nihilominus in se habet aspectum: quasi hominis vna in manu sex forent digiti, in altera quotuor aut alioqui non essent suis locis positi. Nullus sanè medicorũ hîc poterit verè dicere, talem cœcũ non posse curari. Quia natura est potens & admirabilis. Donec adest visus, potest in suum deduci locum. Digiti nõ possunt, quòd sint corporis substantiæ: Ille verò spiritus siue ventus corporis expers: vnde loco moueri potest: quod in partibus corporis transpositis fieri nequit. Hæ itaque causæ, quæ hoc capite proponuntur, non sunt eius generis, cuius reliquę. Nam illæ à natura insunt, tanquam ferro du-

ro durities, cretę ſuus color: ex quo intel ligimus hæc eſſe naturalia accidentia, tanquam niuis candorem. Talia accidẽtia nemo poteſt arcere nec tollere: nihilominus effici poteſt, vt nihil homi obſint. Sperma igitur cùm ſit limbus, ac in quatuor elementis exiſtat, ſciendum etiam eſt, ipſum huiuſmodi vires habere, quas homines impreſſiones non malè appellant, quia ſunt impreſſiones. Notate hoc loco in aſtronomia errorẽ, qui ita ſe habet: Aiunt impreſſionem ex cœlo prouenire: quod falſum eſt. Cœlum enim nihil nobis imprimit: Formam & imaginem obtinemus ex Dei potentia, abſque noſtra opera, imagineſque permanemus pro noſtro arbitrio. Sic etiam omnia membra ſunt manu Dei elaborata & formata. Cõditiones, proportiones, mores, aliaque ſimilia poſſidemus ex inſpiratione vitæ, cum qua hæ res nobis ſunt innatæ. Morbi, quibus obnoxij ſumus, oriuntur ex tribus ſubſtantijs, ea ratione, qua narrauimus. His cœlũ poteſt aliquid imprimere, veluti ignis ligno aut lapidi, vel crocus aquæ. Cogitabitis itaque impreſſionẽ illud eſſe, quod non

non possumus à nobis depellere, vt sunt morbi ex lymbo causis externis effecti. Sic quoque impressio inest spermati, & specificæ, quę nos ad aliquid impellunt, quod nequimus expellere. Verùm quod dicitur inclinatione hoc vel illud fieri, vanum est: veluti, istum hominem habere inclinationem Martialem, Saturninā, Lunaticam, vel similem aliquam: vel necessariò furari, magnus est error, & turpis simulatio. Rectè dicitur, Mars sequitur istum hominē. Maioris enim est homo, quàm Mars, vel alius quiuis planeta. Qui verò cœlum nouit, & hominis magistrum, nō dicit illud: Quin potius hoc dicet, Hominem adeo nobilē esse apud Deum, ac tanto haberi in precio apud Deum, vt sit ipsius forma depicta in cœlo, cum omnibus actionibus, vita, bonis & malis. Hoc autem non est inclinationis. Et ipsimet ex parte hunc errorem animaduertunt, dum inquiunt: Astra nō necessitant. Quod nihil aliud est, quàm aulicum aliquod palliū, siue penula aulica. Duo cœlum ab homine est sortitū, quorum alterum quidem est, quòd hominem depingat in seipso. Vnde illud

falsum

falsum esse probatur, Hunc hominẽ esse Saturninum, illum Iouialem, aut simile quippiam. Hoc enim idem est, ac si quis adumbratus atque depictus, postea ab eadem imagine ipse suam inclinationẽ habere dicatur, vt quicquid agat, ab ista imagine putetur habere. Alterum verò est præludium. Siquidem ita ornatum & sagax cœlum est, omnium vt hominũ futuros labores, mores, gestus, & quæcumque fiunt alia, præludat. Illud verò *præludium* an ne erit inclinatio? Quasi dicas, Præludium cogit hominẽ, vt hoc faciat? Quum omnia ista præludia sint solùm præsagia, quæ futura prænunciãt absque inclinatione, impressione, constellatione & similibus. Hoc est illud hypochyma, hæc est viscosa caligo, quæ astronomorum suffusa est oculis, quæ si ipsis indicetur, ægrè ferunt ac murmurant. Quòd si deinde quispiam erroneam & contra fidem constitutam artẽ voluerit abrogare, & veram sequi, non pudet ipsos proclamare, esse necromantiam. Innata igitur morborum causa duplex est, altera est seminis, quæ debet bene intelligi ex prima theorica, licet sub-

ſtantia & corpora non adſint, tamen generatione inde poſſunt prouenire. Altera eſt ſpecifica, quæ ſimiliter vbi ferit, ibi radices quidem non poſſunt auferri, ſed accidens poteſt amoueri. Sæpe enim cõtingit in ſtomacho, vt ſpecifica ſit laxatio, ſic in ſanguine ſpecifica lepra. quod ex arte idem valeret, ac ſi diceres, in ſtomacho eſſe colocynthida, turbith, ſcamoneam, aliaque ſimilia: nihilominus cõmuniter dicimus, ipſum habere ſpecificam ſcammoneam, vel colocynthida, vel eſulam, vel agaricum, pro rei natura. Sic quoque loquimur, Habet ſpecificam flãmulam, & ſpecificam aquam, quòd foret innata lepra, vel morphea, aut aliud quippiam tale. Ita etiam ſpecifica fit pinguedo, qua ſæpe homo pingueſcit, non tamen ratione cibi. Similiter ſpecifica macies euenit, quum homo nullo cibo cauere poteſt, quo minus ſit macer. Has cauſas non retulerunt quidem medici ad ſpecificam ſciẽtiam, ſed cum imperitis aſtronomis latrarunt, eſſe eam melancholiam, phlegma, aut ſimile aliquid: Saturnus aſcendenti ipſius præeſt, vel eſt eiuſdem naturæ cũ aſcendente.

dente. Homo nihil accepit ex ascendente, sed limbo: Dei manu factus est, non ascendente, nec planetis, nec costellatione, aut istiusmodi aliquo, tanquam ista cogerent ipsum esse macilentum, vel pinguem. Horum oportet morborum perfectam habere cognitionem, quò rectè distinguantur in causarum explicatione à reliquis: Postremò autem considerantur, vt suis etiam in capitibus iudicabitur, & maximè in ijs, vbi de ipsorum spermate ac specifica tractatur.

Caput VIII.

PORro præter omnia hactenus dicta, aliud homini inest corpus inaspectabile, quod non consistit in tribus substantijs: hoc est, Homo corpus habet aliquod, non ex limbo natum, sed originem sumens ex afflatu Dei, quod ea de causa etiam medico non est subiectum. Et quemadmodum nullus flatus vel inhalatio nostra in manu est, ita nec illud corpus nostris subijcitur oculis. Cogor hîc de homine aliquem adijcere sermonem, quem mihi velim asscribi tan-

quam medico,& ipsi eatenus fidem haberi, quatenus philosophia ipsum probat.Est autem talis.Sacræ testantur literæ,nos extremi die iudicij resurrecturos nostris corporibus,ac delictorum rationem reddituros. Corpus autem peccat, quod nos non videmus.Vnde probabile est,illud corpus etiam resurrecturum. Quia non reddemus rationem de nostri corporis sanitate,alijsque similibus,quę ipsi eueniunt,sed eorũ,quæ proueniunt ex corde:ista spectant ad hominem.Hoc sanè corpus,est corpus ex anhelitu Dei, non ex limbo. Nostra verò in carne quũ Deum nostrum seruatorẽ visuri simus, sequitur illud corpus adfuturum, quod ex limbo sumptũ est,& caro existit.Quis obsecro mortaliũ velit ignarus esse earum rerum,quę fiunt in illustratione ac illuminatione,quæ Dei fit ore?Ibi corporum non erit diuersitas,in quibus vna erit caro. in carne nimirum resurgemus. Nouimus igitur vnam carnem,nõ duas: corpora verò duo, vnam duntaxat carnem,ortam ex limbo, quę est subiectum medicorũ. Hoc corpus notabitis vnam naturam cum altero habere incitandi

(præ-

(præter eam incitationẽ, quæ est famis, sitis,& similium) ad verã maximamque iustitiam omnemque probitatem. Caro autem ex limbo sumpta, est illa natura, quæ in sua permanet mensura & iustitia. Quicquid iam præter hæc existit, id ex malo prodit, non natura. Nam omne quod naturæ datur, hoc naturalem petit exitum, naturali in loco existit, ad naturales operationes tendit. Quemadmodum cibus est traditus naturæ, sicut ipsa postulat, ingreditur vẽtrem, deinde per sedes egreditur,& rectè se habet. Ita quoque semen naturę ingreditur aruum vel pratum, ac profert suum fructum: Quicquid ipsi accedit, hoc ex malo est. Ne autem videar minimè Christianus medicus,& contra D. Paulũ, qui iubet mulierum voluntatem adimpleri, & similia: sciẽdum illud minimè debere intelligi, quasi per se pium aut omnino purũ sit, verùm ad euitandum adulteriũ permitti, in quod alioqui posset incidere, quòd corda sint ad huiusmodi vitia inclinata, quò ista, quæ proponunt, impediantur, ac tollantur: hoc est euitare maiora mala. Idem & in maribus obseruandum est

Vt autem redeamus ad illud, quod proposuimus de eo, quod præter naturam est, malũ illud prodit ex spiritali corpore, quod adeo naturam impellit. De hoc spiritali corpore non ex limbo nato, æquũ est medico, præsertim contra astronomos, quædam explicare, quò corpora hominis ambo rectè cognoscat. Astronomi enim subĵciũt astris illud corpus, quod ore Dei sic est factum, non stellis: Hoc probatur homo, in qua affirmatione vel negatione, seu bono vel malo ambulare velit, & quàm sit Deus ipsi charus, & quomodo ipsi sit adhæsurus. Vnde homo & alterũ habet corpus, quod Adam & Eua, dum essent in paradiso, habuerunt perfectũ. Perfectus illic erat homo, qui intellexit bonum & malum, sed esu pomi corpus id immũdum factum est. Vnde nunc cupimus plus comedere & bibere, quàm natura requirit. Deus adeo bonus est, nobis vt proponat talia cupientibus veluti bonum vinum, pulchras mulieres, lautos cibos, electam pecuniam: quibus probamur, quàm sumus fortes & strenui, & quomodo vtamur naturæ mensura, vel eam trãseamus. Est

enim

enim coniunctio duorum corporum, anhelitus & limbi, tanquàm matrimonium, cuius violatrix est natio praua & adultera, quæ omnino non seruat illud, quod intactile corpus promisit naturali, videlicet se nolle hoc onerare nimiũ, nec vltra modum & mediocritatẽ impellere. Hoc quoties non obseruatur, quid aliud est, quàm adulterium? Violatio videlicet eius, quod maxima obligatio, summumque iuramentum coram Deo est? Sed propositum, atque hactenus instituta tractatio, plura indicare, latiusque extendere non permittit. His itaque concluſam esse volo vniuersalem theoricam physices & chirurgiæ, origines item & causas omnium morborum: Quam generalem istructionem libri sequentes latius explicabunt, manifestius docebunt ac euidentius demonstrabũt, singulas seorsim partes & capita tractãdo. Præterea cùm necessariò peculiaris quædam philosophia requiratur ad ea, quæ iam diximus & proposuimus: illis quoque in locis auxilio Dei, (qui & iam suppetias tulit) huiusmodi absoluã, vosque admonebo, quomodo ex tali phi-

losophia hæ vobis medicinæ sint cognoscendæ, vt illud tãdem in Medicina perficiatur, quòd Deus Optimus Maximusque mandauit. Dixi.

CONCLVSIO AD DOCT. Ioachimum Vadianum.

NOn potui intermittere, doctissime domine Vadiane, quin primũ Paramirici operis librũ tibi dedicarẽ: In quo ea diligentia noctes diesque laborando te exerceas, eaque declarãdi & explicãdi commoditate auditores tuos instruas, præcor, vt breui hinc longè spe rato maiorem fructum referãt. Alij quidem hæc meæ superbiæ, alij verò ignorantiæ, alij etiam vel insaniæ asscripserint. Ego autem istis omnibus hoc vnicũ & verè respondeo, Prout quisque animo affectus aut edoctus est, ita Theophrastũ iudicat. Quisquis itaque in philosophia perijt, is nihil in hac monarchia valet: & quisquis in medicina agit humoristam, is nõ potest laudare Theophrastum: quisquis deniq; Astronomia erro incertus esse consueuit, mea ex firmissi-

missimo fundamento dicta non recipit. Nouam & inauditam inquiunt meā esse Physicam, meam Metheoricam, meam Theoricam & meam Practicam. Quî non essem ipsi nouus & admirabilis, qui nunquàm in Sole versatus est? Non me terret multitudo sectatorum Aristotelis, nec Ptolemæi, nec Auicennæ: sed dolet mihi maleuolentia & inuida, quæ nimiū mihi passim obijcitur, & me transeuntem impedit, nec non iudiciū, consuetudinem & ordinem (quæ Iurisprudentiam isti appellāt) nimis immatura. Cuicumq; donum est datum, eiusdem est: qui verò non vocatur, eum non est meum vocare. Deus sit nobiscum, noster defensor & conseruator in æternum.

PHILIP. THEOPHRASTI PARACELSI MODVS PHARMACANDI QVO DEscribitur & Docetur, quid medico sit purgandum in humano corpore, & indicatur, quot modis erratum sit à multis, quorum purgationes, magis ad mortem quàm vitam spectarunt.

TRACTATVS PRIMVS.

IMprimis necessarium est, vt proponamus & declaremus vltimam materiam, in qua huius libelli cardo versatur. Decreui enim nunc de purgationibus opus cõscribere, in quo præcipuè spectandum est, quod medicus expurgare debeat. Qui enim illud non intelligit, eius purgationes ad mortem potius, quàm ad vitam tendunt. Quum itaque de purgationibus prius tractandum sit, quàm de vltima materia, & tot errores in purgando hactenus manifestissimè commissi sint, non ad conseruationem, sed interitum: primùm omnia ea necessa-

necessariò mihi enumeranda sunt, quæ meo proposito repugnant, qualia sunt maxima volumina à veteribus conscripta, in quibus variæ purgationes proponuntur. Verùm ipse rerum effectus apertè ostendit, & eos purgandi modos esse erroneos & fallaces, & neminem à tempore primi medici ad hãc vsque horam intellexisse, quid ex corpore purgari, & quid non purgari debeat. Iste error quotidianus, meisque certissimis doctrinis repugnans, quum longa consuetudine firmissimè sit receptus, & certatim defendatur: cõclusio huius libelli erit, Nihil esse purgandum præter stercora. Ex quo sequitur, diuisionem medicinæ sumi ex stercoris diuisione. Quare quæ stercorum sit natura, quis ortus, & vbínam sint sita, in sequẽtibus tractationibus plenè explicandum est: quò satis & rectè veterum scripta opinione tantùm confirmata (quæ recentiores imperiti medici in publicis & priuatis scholis defendunt) funditùs euertantur. Imprimis itaque notandum, vltimam materiã esse stercus. Stercus est illud primũ siue minera illa, in quo cibus & potus sunt. Si-

militer videtis nulla metalla esse mũda, sed omnia iacere in corpore: Quæ si quis pura habere voluerit, separare cogitur metallum ex excrementis, vt sint diuisa. Vnde excrementum est metallorũ stercus, & metalla existunt ipsa essentia: artifex verò separans & præparans, est tanquam stomachus. Eodem modo in homine, omnia, quæ comedimus & bibimus, oportet vt separentur. Stomachus est magister siue artifex Vulcanus, & stercus excrementum: quicquid verò in naturam transit, id est essentia, tanquã aurum vel argentum. Obseruandum ergo est, quid sit cibus, & quid stercus. Cibus porrò & potus hîc sunt vnum: hoc est, ex cibo non oriuntur alia stercora, & alia ex potu, sed vnius generis est. Et quãuis stercus vesicæ sit simile potui, & stercus intestinorum cibo: tamen sua stercora ita habent coniuncta, vt vrina nõ minus sit cibi quàm potus, & stercus non minus ipsius potus atq; cibi: licet alterius plus sit, quàm alterius, non tamen stercoris distinctio in eo est, verùm in sola natura, Hæc sufficiant de principio.

Iàm necessariò sequitur huiusmodi doctrina.

doctrina. Constat nos in terris oportere omnia mineralia purgare: ex quo facilè intelligimus, inter ipsa esse aliqua, quæ nobis necessaria sunt. Et vt ad illa externa separanda cogimur: ita multo magis ab internis impellimur, vt ea habeamus & conseruemus. Quemadmodum hæc duo separatione differunt, videlicet aurum & argentum purgãtur & absoluũtur manu artificis, operationes verò crescentis segetis fiunt sola natura: ita quoque interior separatio non indiget arte, solùm requirit concoctionem. Non aliter atque agricola, qui seminat, non cogitur scire nec curare, quomodo culm⁹ crescat, aut vbi arista nascetur in culmo, sed hæc natura curat: agricola tantùm curabit vt seminet. Sic etiam ea, quę nostro in corpore requiruntur, quómodo singula sint ordinata aut formanda, nobis haud opus est curare. Deinde ars separandi mineralia, quoniã varijs præceptis & experientijs cõstat, & difficulter conseruatur, multis etiam curis & dubitationibus destrahitur: talia in interiori separatione omissa sunt, solumque præparatio siue cõcoctio tradita est, quem-

admodum natura agri arationē requirit. Vbi verò iſtiuſmodi præparatio non fit, ſed non præparata materia in corpus ſumitur, ſeparatio fiet non aliter, atque ſi granum ſponte cadat in terram, quod rarò fructum profert. Hæc ſint dicta de noſtro propoſito.

Nos igitur (vt prædictum eſt) quum neceſſariò requiramus cibū & potū, nō aliter atque metallum exigit foſſorem atque purgatorem metallicum, aut metallicus pręparator indiget metallo: ſciē dum eſt, quomodo natura redigat illa in ſtercus. Ex eo enim intelligetur id, quod in ſequentibus cōcludetur, & per quod veterum errores patefiunt, ac ſatis euertuntur. Quod in hunc fit modum. Omne quod edimus & bibimus, habet ſaccum, in quem primò peruenit. Vbi verò in ſaccū peruenit, animaduertendum eſt, quomodo in eo tractetur. Abore vſque ad ſuperiorem inteſtinorum partē, ſiue piloron, totum eſt quaſi artifex: hoc eſt, quicquid eſt inter hypochondria ſiue inferiores coſtas & ſupremam ſtomachi regionem, illud plenum eſt virtutis digeſtiuæ. Ex quibus

conſe-

cõsequitur,alios cibos in ore habere odorẽ vltimę materiæ,aliquando verò ex stomachi exhalare orificio,&c. Ergo nõ omnia in stomachum peruenerunt, sed multa in superioribus permanserũt: cõcoctio nihilominus vna est & vera. Quũ ista materia in stomacho existit, primus labor est, vt artifex natura incipiat separare.Hoc quoties facit, vt excrementa à metallis separentur, primò putrefacit: quæ putrefactio inseruit separationi. Præparatis rectè materijs ad separationem,adest alius artifex,qui est duplex,alter stercoris,alter essentię.Nam alter accipit stercus, ac deducit illud in rectum vsque intestinum, & perfectè illud præparat extra stomachum. Quia in stomacho nullum stercus gignitur, materia autem virtute separationis in eo oritur: quam accipit præparator stercoris,ac separat id,vt & alijs vtile sit.Non quod iterum ex intestinis ita discedat, vt in stomacho fit:quoniam sic nulli prodesset. Propterea natura præparat illud,vt aptũ fiat expulsioni. Expulsum verò præditũ est multis arcanis,vt excellentes philosophi testantur,& magna experiẽtia com-

probat,quòd natura idem ſtercus moueat ac præparet. Idcirco multum eſt aberratum in eo,quod ſenſerit,ſtercus inteſtina ducere ac mouere, & ea de cauſa inter exeundum mutari. Aliud eſt nutrimentum inteſtinorum, aliud eſt ortus ſtercoris. Hæc ſunt dicta de ſtomachi ſtercore,hoc eſt,quod fit in ſtomacho. Sũt & alia ſtercora paſſim in corpore ordinata,de quibus tale præceptum obſerua. Artifex ille qui ſtercus præparat, ab altero ſe ſeparat,qui ſtercus non gignit. Eſt enim duplex artifex, alter accipit ea quæ ſunt eſſentiæ,ac vnâ cum ipſis nondũ præparatis ingreditur epar. Quæ vbi in epar peruenerint, tunc incipit diuiſio pro digeſtionum numero,quæ in corpore exiſtunt valde multæ. Siquidem ſingula membra principalia ſuas habẽt digeſtiones proprias, & accipiunt ex hepate ſua,ac ſuum in ſtomachum ducunt. Itaque & alius ſtomachꝰ eſt in corde, alius in ſplene,alius in renibus, alius in cerebro,alius in felle,aliꝰ in pulmone. Quid verò hi ſtomachi ex eſsẽtia attrahãt,nos latet. Hoc ſcimus,quòd cuiuſque membri nutrimentũ latitet in pane, carne,&

in a-

in alijs similiter. Quot verò modis, & quibus, nec nõ qua ratione mẽbris corporis nutrimentum diuidatur, nos ignoramus: Hoc tamen scimus rem ita se habere, vt diximus.

Mẽbra singula cùm ad se trahant sua, sibiq; conuenientia, ac ea præparent: noua incipit separatio, per nouam putrefactionem, ac nouæ materiæ à prioribus diuersæ nascuntur, quarum nos emunctoria non omnia cernimus, sed ali quot tantum modo. Nobis enim cõstat hepar se purgare per sudorem, & cerebrum sua excrementa per nares expellere, & renes per vesicam. Cæterùm emũctoria cordis, splenis, & aliorum multorum nec videmus, nec nouimus. Et quẽadmodum morbi oriũtur ex vrina & ex stercoribus in intestinis, &c. ita animaduertite, multos morbos nasci per emunctoria hęc occulta: quorum morborum causas & origines medici hactenus ignorarunt, ac falsò eas in alijs materijs ac causis asscripserunt. Præterea obseruandum est nobis, eadẽ ratione, qua vnumquodque membrum principale suũ habet stomachum, & suum excrementum,

morbumque ex ipso excremẽto: sic singula etiam membra minus principalia, vt glutẽ album, liquorem, venas, carnes, medullam, ossa, & alia similiter sua habere. Quoniam hæc singula æquè digerũt, separant, & excrementa gignunt, habẽtque sua emunctoria, & excrementorum morbos. Vna enim est origo podagræ & colicæ: vna & eadem est causa apostematis nariũ, & restrictionis vrinæ. His itaque modis & causis debent excrementorũ morbi considerari. Quare falsa Academiarum scripta, doctrinæ, & institutiones, non exiguis curis tractata, longè aliter proponũtur, quàm ipsa veritate comprobari possũt, vt in libris de excrementitijs morbis manifestè à nobis ad verbũ enumeratur ac probatur. Adhęc, quemadmodum explicatum est, varios esse stomachos, variaq; ipsorum emunctoria: ita quoque peculiaris digestio est oris, hoc est, digestio carnis capitis. Non quòd omnia in ore digerantur. Quicquid enim in ore digeritur, nõ trãsit in stercus intestinorum quia propriũ excrementum est in regione capitis. Sic sputum in ore est excrementum capitis, ac gene-

ac generatur in digestione capitis, tãquã stercus intestinorum in sua regione: & vt sputum varijs modis mutatur, sic quoq; excremẽta sunt diuersa pro natura loci nobiliori aut ignobiliori: & eadẽ ratione quoq; sũt excremẽta gratiora aut ingratiora. Sic proprij stomachi sunt oculorũ & auriũ. Nã aures suos stomachos non minus habent, atq; reliqua mẽbra: stercus ipsarum est excrementum flauũ, quod protrudere solẽt. Sic & oculi suos habent stomachos, quorum excrementa sunt lachrymæ, quæ post somnum in oculis reperiuntur, & alij fluxus oculorum. Morbos oculorum cognosces eisdem causis, ordine & progressione, quibus colicam intestinorum. Sũma enim diligentia excrementorum morbi vbiq; sunt cognoscendi. Quia hîc latitat causa, quæ me impulit ad scribendum, quò excrementorũ morbi verè innotescant: quibus bene perceptis, sciendum est modum purgandi huc solùm spectare, non ad alios morbos. Siquidem omnis purgatio in hoc instituta & ordinata est ab ipsa etiam natura, vt stercora tollat, & nihil aliud. Quum itaque multa sint per

ſe genera ſtercorum, & ex tam varijs digeſtionibus oriantur: cur medici veteris ſophiſticæ artis ſectatores dicũt, ipſa gigni ex quatuor duntaxat rebus? Volunt ſtercora eſſe ipſam melancholiã & cholerã: in quo manifeſtiſſimè prodũt ſuos errores. Quia in generatione ſtercorũ, omnino nihil debet obſeruari, quàm virtus generationis, & ſtercus eadem virtute effici. Ergo ſtercus nõ aliter naſcitur, atque ea, quæ terra producit. Quis vnquam dicet, arborem fraxinum gigni ex cholera, aut melancholia: aut ipſam formatam eſſe choleram, melancholiã vel phlegma? Quemadmodũ profectò hæc arbor nunquam eſt cenſenda huiuſmodi humor, vel ex ipſo: ita nec proprietas ſtercoris naturalis eſt tale quicquam. Nam eadem eſt horum origo. Quamuis etiam fraxinus naſcatur ex ſemine, & ſtercus quaſi excremẽtum: nihilominus tamen ſtercus eodẽ modo naſcitur, quo fraxinus. Quia ijſdem virtutibus, eadẽque forma, natura & proprietate ſtercus creſcit, quibus fructus ex arbore. Et fructus vt non diuiduntur in humores, ita nec ſtercus diſtribui debet in humo-

res,

res,veluti hactenus factum est. Stercus flauum vocatis choleram vitellinam:viride,choleram praſſinam: & alijs mirabilibus vocabulis illud coloraſtis. Ipſa verò ſtercoris generatio non eſt intellecta,nec obſeruata.Non alia ratione ſtercus conſideraſtis ,ac ſi diceretis, pirum flauum eſt cholera vitellina:viridia pruna ſylueſtria ſunt cholera praſſina. Iſta vt rationi non ſunt conſentanea,ita nec veſtra ſententia & fundamentū de ſtercoribus.Si reſponderitis,aliud eſt medicina,eliud philoſophia, & alia eſt origo piri atque pruni, ſic etiam alia eſt origo ſtercoris: Hoc ipſum ſophiſta loquitur, qui nec in philoſophia, nec medicina fundamentum vel experientiam vllam habet.Sic varijs modis inconſtanter fundamenta ſua ponunt, conanturque domos ſuas extruere ſuper arenam. Nihil enim amplius experientia ipſorum docet ipſos, ſed credunt degeneri animo ſpiritibus vagantibus. Hæc ſufficiant de cognitione materiæ,de qua hîc concludam.

TRACTATIO SECVNDA.

SIngulæ res, quæ comedunt, ſtercus quum efficiant, idque varijs (vt ſuprà dictũ eſt) modis: primò nobis neceſſariò cognoſcenda ſunt ſtercora exteriora, vt per ea deinde interiora quoque cõmodius diſcamus. Philoſophia docet, hominem eſſe minorem mundum, ac totum exteriorem in ſe continere, hoc eſt, partes atque diuiſiones eius in ſe habere. Si itaq; omnes partes maioris mũdi inſunt homini, diligenter perpendendum eſt, quę ſunt in homine per exteriora diſcenda: Et quemadmodum exteriores partes ſunt admodum variæ & multæ, ita quoq; interiores. Quare fieri nequit, vt vno in libello eas omnes complectamur, eò quòd minus latè pateant. Et ſicut omnes experientiæ nunquam poſſunt mente concipi: ita quoque fieri non poteſt, vt quiſquam hominem interiorem perfectè cognoſcat. Quare turpiter errant iſti, qui adeo rude & imperitè hominem diuidere volũt in quatuor humores, eumque his ſolis conſiſtere: quum medici ſcientia tam latè extẽdatur,

tur, quàm vniuersus mundus patet: hoc est, omnia, quæ extremo cœli ambitu continentur, ipse debet scire. Et, si non nouit, non est quod glorietur se totam tenere medicinam, quod humoristæ medici factitant. Explicaui quidem antea aliquot digestiones, & earum stercora: at non omnia complexi sumus, sed methodum generationis stercoris, quę etiã in reliquis omnibus eodem modo notari debet. Nos enim omnium stercorũ ortus docemus per notiores, ex quibus obscuros & ignotos intelligimus: non alia ratione, ac si quispiam ostendat per notiora, quomodo illa omnia quæ terra producit, proueniant siue sint nota, siue ignota, quòd sit vtrorumq; eadem natura. Quæ propter multa quum sint stercorum genera, ac latissimè in hoc amplissimo mundo sint dispersa, ac medicus ipsa debeat summa diligentia discere ac cõsiderare: paucis viam cognoscendi demõstrabo. Primò, vt cognoscantur omnes res, quæ stercus efficiunt, hoc notetur: Omnes res quę comedunt stercus efficiunt, & quęcumque comedunt, etiam viuũt. Quarum rerum summa ex-

perientia & ſciẽtia eſt, vt cognoſcamus, quæ viuant, & quæ vitæ ſint expertes: deinde viuentium nouiſſe digeſtiones, & ex ipſis digeſtionibus cognoſcere ſtercora, quæ oſtendunt ac declarãt originem, veramque noticiam, & diſtinctiones humanorum ſtercorum. Et quamuis morbi excrementales hîc apertè nõ doceantur, tamen diſcas hîc fundamentum, ſiue materiam iſtorum morborum, quos tãquam fructus in alijs libris docuimus. Nam alium librum requirit arboris deſcriptio, alium eiuſdem fructũ. Omnes igitur res, quæ ſunt vitæ participes, (vt dictum eſt), oportet vt nutriantur. Sic enim homines ſe alunt: ſic ea, quæ ex terra creſcunt, & lapides etiã in aquis. Contrà mortuum eſt omne illud, quod nihil edit, hoc eſt, quod in ſuo nutrimento nõ conſeruatur. Cernitis apertè hominem alimentum ſibi adferre, cogiq́ue illud quærere ac ſequi. Sic quoq; omne, quod ſentit locoq́ue mouetur, ſuum præſepe, hoc eſt cibũ, neceſſariò quærit & ſequitur. Quę autem loco nõ mouentur, ipſis nutrimentum adfertur. Sic ſtomachum ad cibum deferre oportet. Quibus verò

ſtomachus

machus nutrimentum ſuppeditat,eadē ipſum ſequitur.Omne enim ſentiens nutrimentum neceſſariò quærit.Senſu autem carentia,iacent quietè in ſuo nutrimēto & coquina,vt videtis arbores creſcentes ex propriis nutrimēti ollis & penuariis, quibus adfertur nutrimentum, aliaque neceſſaria, per ſe alioqui nihil habentibus. Eodem modo lapides in aquis iacentes proprio in nutrimēto conſiſtunt.Quæ prædicta,ſicut & aliæ res omnes,prout ſuo in alimento conſiſtunt, ita quoque ſua habent ſtercora. Lapis ſua expellens, tegit ſeipſum muſco ſiue vſnea,qui muſcus eſt ipſius ſtercus, licet aqua ipſum aliquando abluat, aliquando non. Iſte muſcus oritur ex ſolo lapidis nutrimento: non quòd alimentum ingrediatur medium lapidis,ſed ſtomachus eius eſt extra ipſum lapidem,attrahitque nutrimentū, quod digerit in lapidis extremitate.Ideo lapides, qui in nutrimento ſuo exiſtentes accipiūtur, virtutibus & arcanis oſtendunt ſe viuere. Reliqui verò,qui non in ſuo ſunt nutrimento,carent iſtis arcanis,ſed aliis arcanis præditi ſunt. Suntque iſtiuſmodi la-

pides comparati ad alios, tanquam mumia ad hominem. Vnde aqua cibus est eorum omnium, quæ iacent in aquis: terra eorum, quæ in terra: aer eorum, quæ in aere: & firmamentum eorum, quæ in ipso consistunt. Huiusmodi res sunt discendæ. quia illic inueniuntur causæ & modi, per quæ stercora diuidãtur, & qua ratione singula genera ostendant propria excrementa. Quę genera eadem diuisione, eodemque modo omnia homo in se habet, similique via & experientia sunt obseruanda in ipso. Notate hoc exemplum de discrimine lapidum, qui sunt in aquis, & extra ipsas. Lapides qui in aquis iacent, suis in liquoribus consistunt, qui verò extra, etiam in suorum re creatione permanent. Hîc errant Alchimistæ, & qui inuestigant quintam essentiam, & magnum elixir studeant prępare, & quicumque magna magisteria & arcana quærunt, in viuis à mortuis dignoscendis, quod fundamentum est, aberrant. Inspicite magnetem, qui necessariò alitur, nec quicquam agit absque nutrimento. Quemadmodum enim homo, si non nutriatur, semetipsum cõsumit

mit edendo, donec moriatur: ita & Magnes carens alimẽto, paulatim ſeipſum rodit edendo: Vbi autem nutrimentum edendo abſumpſit, virtutem attrahendi quoque amiſiſſe apertè videtis. Sic in Adamante eſt maxima duricies, quam amittit, ſi nutrimentum ipſi non datur, quod eſt aer ſiccus: humidus verò aer emollit ipſum, quæ emollitio ipſius, mortem infert. Sic omnes lapides nutriuntur, & omnes arbores, omniaque creſcẽtia. Efficiunt quoque ſua ſtercora, vt Carabe, qui iacẽs in aqua ita incluſa, vt nullus aer accedere nec diſcedere poſſit, per ſuum aereum ſtercus coagulat aquam, vt fiant vermes. Eodem modo & ſapphirus ſuum ſtercus protrudit aereũ, quod & ſimili ratione cognoſcitur. In homine quoq; aliud ſtercus fit, aliud eſt ipſa ſubſtantia: cuiuſmodi cùm apertè, tum occultè, nobis non modò ſcientibus, verũ etiam ignorantibus, ex homine deſcendunt, quæ nemo hactenus experientia didicit. Patet igitur omnes res viuere alimento. Quatenus verò viuunt alimento, eatenꝰ ſunt medico ſubiecta. Verùm ter quaterque beatus medicus, qui me-

dicinam viuam nouit, eamque cõparat, ac certò tenet non esse mortuam. Sunt iam in rerum natura multæ medicinæ mortuæ,& adhuc moriũtur. Qua de causa medicus iure poterit conqueri: Cœlũ renouatur,multa crescentia senescunt, ac simul mors adest: Cæterùm nouum cælum restaurabit ea,que futuris prodesunt: Tũc medicina suis arcanis iterum potens florebit. Quid autem singulę res comedant,& quo nutriantur,non nouimus,sed illa sunt in magnalibus Dei. Scimus quidem certò multa centena *nutri* mẽti genera esse in corpore, quæ omnia sunt in vno bolo, & multa quoque milia esse in maiori mundo,sed quis est,qui ea speciatim nouerit? Sunt illa magnalia naturæ abscondita: imo Dei sunt magnalia, non luminis naturæ. Experientia autem probatũ est, chaos minerale ducere ac nutrire res, quæ se loco non possunt mouere: liquorem Mercurialẽ ducere crescentia,quæ sensu carent, & carnem salis ducere sentiẽtia. Quisquis autem est ille,qui huiusmodi magnalia distribuat? Inuisibilis est coquus eorũ: maximè quæq; res illæ iacent occultæ,pauciſſimæ

cissimæ verò ac minimæ in rebus quæ sub aspectum cadunt. Vnde patefit istorum error, qui res occultas & latētes iudicant ex ijs, quæ sentiuntur: hoc est, habent ea, quę cernuntur ac tanguntur, nō autem iudicant illa manifestè sensu, sed occultè absque sensu. Vobis igitur considerandum est, omnes res suo nutrimēto conseruari, nihilque viuere sine stercore. Ex hoc modo dignoscendi stercora, debetis etiam humani stercoris naturam tenere. Vbicumque hæc cognitio deest, ibi quoque nullus adest modus exercendi medicinam: quia ex his originem ducit suam. hæc sunt eius elementa, ex quibus & principium ipsius, & totum fundamentum oriuntur. Cæterùm quod vos appellatis choleram, vel melancholiam, quæ nullo nituntur fundamento philosophiæ, ea veritati non cōsentiunt: & quæcumque medicina ex ijs originem sumit, inconstantior ac incertior est, quàm pluma in latissimo cāpo, quæ continuè vltro citroque agitatur. Oportet igitur medicum esse peritum externorum excrementorum, quò medicina rectè intelligatur, & abusus in

modo purgandi, quē veteres ſcriptores docuerunt & obſeruarunt, è medio tollatur. Non enim ratione humorum medicina diſtribuitur, verùm natura ſtercorum. Quapropter nobis loquendum hîc eſt de ſtercoribus, nō humoribus. Quicquid enim loquimini de ſtercoribus ex ſuis digeſtionibus, hoc verū eſt, in coque rectè facitis: & quiſquis ex digeſtionibus originem ducit loquendi, veritatem dicit, eamque inuenit, ac probat. Ex humoribus autem ſi medicinam ſtatuitis, nūquā probabitis, nec vllis rationibus confirmabitis. Qua de cauſa erratis in purgando, vt ipſimet veſtris factis probatis, dum purgationes veſtræ nihil proſunt. Omnis purgatio debet eſſe cura ei⁹ morbi, cuius tollendi gratia datur. Hoc ſi nō fiat, erratis, ac oſtenditis artem veſtram eſſe falſam, etiam in purgando clyſtere, & alia loca emunctoria dū quæritis, tanquam cæci & luſci. Hæc vuulgus ſi intelligeret, profecto abhorreret à veſtra medicina: quòd veſter modus pharmachādi ſit prorſus abſque omni fundamēto, coque vtamini tanto cū periculo hominum. Si enim perpēderetis originē ſtercoris,

coris, quot modis oriatur, vos ipsi abhorreretis. Oportet profectò in istiusmodi periculosa medicina quemque medicum intelligentia valere, & medicinam habere exemplar propositum, eamque retinere, quasi esset ipsius theorica, vt perpendat sedulò, quot genera laxatiuorum, & quàm mirabiles ipsorum virtutes & operationes sint. Vnde putatis illud, quod sæpè vos in magnam adducit admirationē, euenire, videlicet, quid sit illud, quod expellitur? Et nulla alia profectò causa fit, quàm admirandis digestionibus. Nam mirabiliter stercora per laxatiua & purgationes in vnam substantiam conferuntur, & mirabili modo trahuntur ex suis emunctoriis. Vos autem propterea, quòd exeant per anum, æstimatis vnum esse duntaxat, nec amplius quicquam ibi animaduertitis. Summa diligentia, omnique mētis acumine considerandum est, animi nostri captum excedere, quomodo sterc⁹ educatur, quod (vt dictum est) nos secundum naturam iudicamus. Quatuor autē humores, eorumque diuisiones facilè intelliguntur, vt vos ipsi cernitis. Cæterùm has res nō

faciles intellectu esse oportet: sed necesse est scire veram progressionem & methodum, & non sequi ea, quæ in progressione existunt. Ergo non licet his rebus imponere nomina ex humoribus, verùm locis, quæ ipsis causa nominũ sunt. Locus certè est digestio, & materia separationis. Hæc omnia eò dicuntur, ne vos post hac stercora queratis in humoribus, nec ipsos humores vllis purgationibus conemini purgare: quia istos humores nullus vnquã probatus medicus spectauit. Nec minori cura & diligentia animaduertere debetis hanc magnam erroris vestri partem, videlicet, quòd in quocumq; morbus potest stercora cõmutare, in eodem quoque potentia habeat eadẽ priuandi colore: nec medicus hæc iudicabit duas esse diuersas res, sed vnã. quod fit hoc modo. Si velis ex stercoribus iudicare, & eandẽ æstimare esse signa & indicia morborum, errabis vniuersa tua practica. Quin primò obserua vtrùm morbus regat stercora. Hic itaq; si stercora gubernet, nullo modo expurges illa. Si verò stercora regant morbũ, expurges stercora, & morbus recedet.

Quod

Quod si volueris morbũ & stercora simul educere tua practica, corrumpis digestionem, nec cogitas huiusmodi errorem nequaquam esse morbi curam, sed potius longam eius productionem. Hęc res experientiam requirit, & scientiam morborum, qui in digestionibus potentes sunt, & quantæ sint istæ potentiæ. Alij enim morbi in stomachis corporis, alij extra stomachos sunt. Si ergo tales morbi alia stercora gignunt, cur stercora essent humores, quũ non oriantur ex humoribus, nec ipsorum morbi sint humorales? Cæterùm vestra Sophistica in his vos defendit, & vos ipsi vestris humoribus peculiarem professionem constituistis, ne philosophi vos reprehẽderẽt, & vt artifices naturæ ac naturales à vobis separarentur, & vestrã pompam soli ostentaretis, nec quispiam mortaliũ auderet vobis contradicere. Si ergo Sophisticam, quæ in humoribus consistit, non excogitássetis, coacti essetis philosophis reddere rationem, num aliquid in philosophia nouissetis. Profectò nihil potuissetis respondere de stercoribus lapidum, lignorum, graminis, & aliorum si-

milium, nec de nutrimentis eorum: nec potuissetis respondere medicis naturalibus, qui suum fundamentum iaciunt in experientia rerum externarum. Quum itaque animaduertistis, fundamentum, vestræ medicinæ, philosophiç, Astronomiæ, & aliarum rerum naturalium nihil valere: finxistis quatuor humores, qui in nulla professione fundamentum habēt, at solùm vestris phantasticis capitibus fulciuntur: vnde philosophis & veris naturalibus persuasistis, humores efficere medicum, & ex humoribus medicinam oriri. Sic pro vestro animi arbitrio flectitis humores. Egregia sanè fallacia est, facultatem posse ita inficere ac inuertere sophismatis, vt stulti se à sapientibus segregent, persuadeantque ipsis sapientibus, se esse eos, qui rectè sapiant. Per hāc sophisticam pacatè vixistis, nec quisquā vobis contradixit, nec vllus mortalium nouit vestras præstigias. Quod si volueritis veros agere medicos, omnium disciplinarum doctis cogimini conuersari, & eos doctrina superare, non vos ab ijs separare.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

NVnc de diuersitate sita in virtute digestiua, quæ causa est varij status vltimæ materiæ. Virtus digestiua quum non sit simplex, signum est, medicinam purgandi quoq; non debere simplicem esse. Nã manifestè & copiosè hîc traditur, non ex humoribus, sed digestionis virtutum cognitione, energias & vires medicinę æstimandas esse. Quicquid verò præter hæc fit, nõ est medicinæ artis, sed externarum. Quicquid mundus continet, idipsum debet & in homine considerari, ac separari à se inuicem, & quousq; sterc⁹ cerebri se separet in substantiam vltimæ materiæ â stercoribus intestinorum. Admiranda est mutatio, & mirabilis operatio: quum ambo reuera sint stercora, & multum discrepantia, ex ipsis quoque in medicina, diuersa debere accipi, vt intestinis suum, ita & cerebro suum tribuatur. Hanc noticiã, maximam esse medicinæ partem æstimo. Cuius causa est hæc: Medicina vult iudicari pro corporis partibus, locis, & eorũ proprietatibus. Quæ autem euacuatio

quatuor humorum dicitur, nihil valet. fundamentum minus est lubricum & leue, quòd tantùm quatuor humores sint spectandi, & reliqua omnia negligenda. Natura etiam quatuor istorum, ac ipsorum scriptores testantur, eos non habere locum in corpore: nec etiam anatomia rerum naturalium vllo modo concedit, tales esse locos in corpore, in quibus istiusmodi quatuor humores gignãtur: nec anatomia quoque morborum patitur, solùm quatuor esse matres, & non plures. Hæ differentiæ & dissimilitudines omnibus, qui aliquid volunt in arte medica tractare, perfectę esse debent, quòd oriãtur ex microcosmi natura, vt homo similis sit maiori mundo. Si ergo homo maiori mundo per omnia similitudine respõdebit, nec verò naturali statu ab eo differet, quo exteriora interioribus, & interiora exterioribus sint similia: oportet sophistarum humores cedere ac euanescere. Quia hominis anatomia, est anatomia totius sphæræ: & cœlum terraque dum intereunt, anatomia magna quoque perit. codẽ modo, si homo moritur, parua anatomia interit. Et quemadmo-

quemadmodū in cœlo Sol ac Luna ſuū ſplendorem amittent,& ſtellę cadent ex cœlo,ita etiam in homine,antequā morietur. Ac viciſſim, vt homo perit, & in nihilum redigitur,ita quoque cælum & terra finientur.Hæc quò melius intelligatis,notate hoc exemplū de cœlo. Cur cœlum adeo mirabiliter eſt formatum? quare tam admirandas habet operationes? Solùm hominis cauſa. Si ea dunta-xat cœlum habet,quæ ſunt hominis:neceſſariò homo corpora & loca habebit, in quibus cœlum ſuas operationes perficit.Hæc quum ſint neceſſaria, & oporteat hominē tot habere loca, quot cœlum operationes: hinc conſequitur, hominem anatomiam ſuam ex cœlo conſequi,ac conſiſtere:non hominem ex homine. Si enim homo ſeipſum explicare deberet,omnia quæ in ipſo eſſent, cœca & tecta forent: & cœci exiſtunt medici, qui naſcuntur ex ipſius anatomia. Medicum ex Aſtronomia oportet anatomiam diſcere.Hæc enim vidit ea, quæ in homine non videntur, & nihilominus inſunt.Negatur etiam à nonnullis, loca cœli ineſſe homini, quorū profectò valm

de multa cuti incluſa ſunt. Sic medicus ab externis ſui ſubiecti cognitionem petit: nec ſolùm ex cœlo, verumetiã ex terra, quæ ſimul ſubijciunt oculis hominis anatomiam, quæ nullo modo poteſt ex homine diſci. Si itaque ſphęra mũdi docet anatomiam, cur nõ diſcit medicus ipſam ex Aſtronomia? Cauſa eſt, quòd nimis ipſi ſit difficilis: ſophiſtas verò age re omnibus facilè eſt, nec opus habent præceptoribus. Diſcunt enim per ſe imponendi artem: qua cognita, pro mundi verſutia callidiſſimè oſtentant ſe *doctos* ac peritos eſſe, vt factitant medici, qui totam medicinam redigunt ad quatuor humores. Nouerunt ipſi, Friburgũ, Viennam, atque Erphordiã ex iſtiuſmodi columna efficere doctores. Vnde medicina perijt. quòd ſe à doctis ſepararint, nõ aliter atque canicida ab honeſtis hominibus. Medicus ſanè debet Philoſophiam & Aſtronomiam cùm ipſe diſcere, tum alios quoque docere. Hæc neceſſaria cùm ſint, quid ipſi nouerunt? Verè iſtis cœlum ac terra ſunt ignota. Propter quàm ignorantiã non eſt ipſis confidendum, vt ſtercus homini expurgent,

ſed

sed eiectum vt deferant. Non immeritò quatuor mirarentur rustici, tales homines esse doctores & magistros, qui nunquam tam longo tempore, vt ipsorum libri quoque testantur, ab Aesculapij & Hippocratis temporibus ad hanc vsque horam nouerunt stercoris naturā. Quomodo ipse primam materiā cognoscet, qui vltimam ignorat? Vicissim quisquis primam nō nouit, nec vltimæ cognitionem habere potest. Aliquid tamen ex cœlo sunt conati in medicinam transferre. nam scorpionem, pisces & arietē arbitrati sunt sufficere, quasi istis totum cœlum intelligerent. Ista verò signa nō habent eius rei peculiaria mandata: sed cœlum in istiusmodi rebus diligentius est cognoscendum. Vos semper garritis, ac iactatis calendaria vos sequi: quæ nō à peritis, sed opinione doctis componūtur. Hæc omnia dicta sunt nō alia de causa, quàm vt intelligatur, modum pharmacādi ab externis creaturis peti, ac verè solideque in cognitione earum valet, & non ex vestra anatomia imaginatione costituta. Quoad cœli & terræ cognitionem non habetis, nec nouistis quo-

modo insint homini,& quomodo se habeat concordia externorum & internorum,non estis digni,vt stercus tractetis, taceo sanitatem & vitam. Vos occupastis lupanar, ac in eo vos collocastis. Quia nihil tã impudenter dicitur, quod istic non audeant re perpetrare. Quæcumque enim libuerit,eorundem quoque potestatem habent perficiendi sua licentia.Meum autem propositum vt exequar,haud vos latebit,vt prædiximus, ex diuersitatibus exterioris globi vel sphærę,diuersitatis humani corporis esse discendas. Et quicumque nouit constitutionem cœli & terræ,idem quoque nouit hominis. Qui verò omnes hominis partes nouit,ipse est medicus.Quantum verò ad stercorum in sua separatione scientiam attinet, vt quantum differant stercus cerebri & intestinorum, id huiusmodi tenent discrimen.Loca vltimam commutant materiam, nõ virtus digestiua Loca verò singuli pro sui natura sunt diuersis modis dispositа & ordinata.Quum ergo loca sint causæ cõmutationis vltimæ materiæ,& ipsa mouẽtur ita per externas impressiones, vt eodem

dem modo sint in corpore humano affecta, atq; intrinsecè: oportet iam declarare, quî ipsa in ordine in vltima materia præparanda agant. Ordo certè locorum nascitur ex forma hominis, prout nobilis aut ignobilis, clarus aut obscurus fuerit, eamque ordo obseruat. Illud etiam naturale est in homine, quod vltimam tribuit materiam, videlicet eiusdem loci calor. Quotiescũque enim existit virtus digestiua, toties quoque est calor, toties alius calor, toties & alia putrefactio. Nihilominus vnus est calor, & vna progressio, vnusque ordo putrefactionis. Præterea sciendum est, Cunctis rebus, quas nos comedimus, inesse omnia stercora, quæ in nostra corpora ingrediuntur. Quod intelligendum est hac similitudine: Homo donec viuit, nõ putrescit: quam primùm verò mortuus fuerit, putrescit. Omnis enim cibus, quẽ edimus, viuit, nec sordet, donec viuit: vbi autem in humanum corpus peruenit, incipit virtus digestiua, quæ tot calores habet, quot sunt genera digestionum, hoc est, quot genera stercorũ. Separatio est sita in calore, tãquam in facultate digeren-

di,vnde aliter ac aliter formatur vltima materia. Hinc intelligendum est, ordinē ac dispositionē esse magni Archei,quod isti calores sint distributi per corpus pro locorum natura,quò nobilitas personę cōseruetur in suo statu. Sic quoque iuxta naturam stercoris virtutem digestiuā ordinat,& stercoribus singulis, quæ adhuc insūt cibo suas digestiones: hoc est, cum eodē nutrimento mittit suo emunctorio. In cibis itaque istiusmodi sordes cùm existāt,(vt satis retulimus:) animad uertendum est,ordinem & constitutionē membrorum humani corporis ita esse dispositā, vt os purum conseruaretur à stercoribus:similiter quoq; oculi, & aures. Propterea stercus illud,in quo talis fœtor habetur, intestinis deputatū est, ne aliæ digestiones huiusmodi quicquā haberent,quale intestina, alioqué calore forent prædita, quàm intestina. Quia calor intestinorum putrefacit omnia ac redigit in fœtidum stercus: Qua de causa calor & materia æqualiter cōiunguntur. Nam obseruandum est, vt mirabiliter calores diuisi sunt per suos gradus,ita & formę hominū dissimiles existunt.

In his

In his etiam notandum: Omnia quę edimus, originem ducũt ab externis. Oportet enim vt externa foueant ac nutriant interna. Sic epar noſtrum nutritur epate terræ: cor noſtrum corde terræ fouetur: terræ alit noſtri corporis fel: & cerebrum terrenum corporis noſtri cerebrũ ſuſtentat: Sic quoque ſplen ſplenem, ſanguis ſanguinem, & renes terrei noſtros renes alunt. Siquidem cœlum & terra ſunt vnus homo, nec plus nec minus in vtriuſlibet ipſorum natura exiſtit. Propterea quotieſcunque quis bolum cibi in manu habet, toties cœlum & terram continet in eo bolo. Quia ipſi inſunt omnes partes hominis, nec nõ omnia totius mundi ſiue globi ſui corpora. Ergo corpus cœleſte ac terreſtre in manu eſt comedentis, ac ipſe cœlum edit & terrã, ac ea ratione corpus ei' ſumitur ex cœlo & terra: vnaque res ſunt cœlum & terra in ſua eſſentia, non autem in forma. Si itaque homo totum comedit mundum, & idem exiſtit quod mũdus, ac (vt ſuprà dictum eſt) ſeinuicem edunt. Animaduertite, in ſumendo cibum, nos doçuiſſe, primam operationem fieri in ſto-

macho, postea in reliquis partibus corporis. Nolo hîc latius explicare, quæ antea sunt tradita, sed discite quomodo operationes fiant, & vltimæ materiæ ducantur ac separentur. Primò, quum edimus, operatio fit in ore similis ei, quę fit in stomacho. Vnde sequitur, hominem per solam digestionẽ posse naturaliter sustentari. Quod sic intelligendũ est. Videtis in ore generari stercus intestinorũ. Quia ita peculiaris ibi est operatio siue digestio, vt si quis cibum continet suas horas in ore, quemadmodum virtus *digerendi* nos docet, idem cibus digeratur à gingiuis, palato, gutture & vuula: quo cõcocto, nascitur stercus & putrefactio, quod stercus indicat, veram esse factam nutrimenti separationem. Putrefactum quoque illud, quod in ore manet, docet, nutrimentum esse ab eo separatum. Putrefactio propterea fit, quòd calor non sit in ore tantus atq; in intestinis: nihilominus in ore est digestio facta, quæ separat nutrimentũ à stercore eo modo, quo in stomacho: nec minus est nutrimentũ perfectum, atque illud, quod est in stomacho: trahitur quoque ita occultè in

hepar

hepar,vt nullus deglutiat,aut ſentiat. Hę ſunt anatomiæ,de quibus ſcribere libet. In epar vbi peruenit, æquè perfectū eſt, ac ſi prodiſſet ex ſtomacho, & corpus eo ſuſtentatur ac ſaturatur, ipſiq́ue ſuffi cit. Vnde ſciendum,quod comendendo cōferre in ſtomachum eſt naturæ ordo, & ore retinere,eſt quoque naturæ ordo. Quicumque edēdo deferunt in ſtomachum,plus nutrimenti requirunt,quàm qui in ore retinēt. Quia ſtomachus tendit ad pinguedinem,os verò ad ſanitatē, abſtrahitque à pinguedine. Qui in ſtomachum edendo transferunt, ſeipſos multis ſubiiciunt morbis: qui verò tantùm ore comedunt,nullis ſe morbis ſubiiciunt. Qui ſtomacho comedunt,requirunt neceſſariò alimentum lautum & copioſum,quòd ſtomachus ſit eo guſtu prędit us,vt quicquid ipſi placet,hoc velit habere: quod ſi nō ſuppediteturilli, perturbatur, quia in lauticiis fundatꝰ eſt. Qui autem ore tantùm edunt,nihili ſaporem faciunt,ſed ipſorum os digerit illud,quod ſtomachus nequit. Maximū hîc eſſe diſcrimen notate. Nam hoc mo-

do vixerunt Eremitæ, & illi quorũ nullum ſtercus inteſtinorum repertum eſt. Summus ac maximus Eremita Ioannes Baptiſta comedit locuſtas & mel ſylueſtre. Locuſtæ ſunt teneri ac recentes fructus, qui adhuc ſuffulciuntur germinibus. Tales Ioannes Baptiſta decerpſit, ac in mel ſylueſtre (quia apes ſylueſtres in ſyluis agunt) intinxit, ac ipſo eos illiniuit. Ex quo obſeruãdum eſt, quòd teneræ ac recentes locuſtæ ſint nutrimentum: quia ex ipſis fit nutrimentum. Differunt autem locuſtæ in hoc: Omnes locuſtæ recentes ac teneræ debent crudæ comedi: vbi autem tempore inueterascunt, coquo tradentur. Quicquid ergo coquitur, hoc ipſum trãſit in ſtomachũ & os Quicquid etiam non coquitur, in os & ſtomachum peruenit, hac tamen diſtinctione: Quæcumq; ſunt tenera & recentia non ſatisfaciunt ſtomachi cupiditati. non enim delectatur crudis, verùm delicatis. Ioannes autem non delicatis & lautis nutriebatur: propterea quoque ſtomacho non tradidit alimentum ſuum, ſed ori, per quod ſui corporis membra conſeruauit. Laridum aliaque pinguia

pinguia non edit, nec gaudia libidinesq; excitauit, nec admisit, sola oris saturatione contentus: Sic in locustis & melle syluestri fuit ipsi nutrimentum sufficiens. Eodem modo & alij Eremitæ se sustentarunt, quorum multos certissimè constat olim fuisse, & hac nostra memoria esse. Hi nihil comederunt, nec stercora intestinorum sunt reperta. Nõ enim nutrimentum stomacho tradiderunt, sed solùm ori naturaliter, & satis membra fouerũt: naturaliter, inquam, & cum natura, non contra naturam, nec cœlitus, sed ex cœlo & terra sumũtur. Siquidem homo micis conseruatur, & piscibus. Quæcumque stomachus digerit, ea trãseunt per ventrem: quod verò digeritur ore, sputo eijcitur. Ex quibus sequitur, generatio stercorum in ore quum fiat, soliti sũt Eremitæ ora sua lauare ac purgare, vbi digestio in ore fuerat absoluta, ne intestinorũ sterc⁹ per os fœteret. Istiusmodi vbi viderunt ipsorũ discipuli ac iusdem odinis homines, quotiescunque cibum sumpserunt, os abluerunt, & hoc in statuta sua retulerũt. Cæterùm huius sunt obliti, quòd cibũ dimiserint in sto-

machum, ac quæsiuerint stomachi lasci uiam, non membrorum necessariũ nutrimentum, veluti ipsi ex quorũ professione & ordine dicunt ac iactitãt se esse. Hæc res quomodo se habeat, quotidie licet videre.

TRACTATVS QVARTVS.

POstquam originem & loca stercoris rectè tenueritis, cõsiderandi sunt & eiusdem colores. Obseruate igitur colores ipsius nasci ex eadem materia, qua stercus. Quemadmodum enim in vno panis bolo tota existit hominis anatomia, ita quoque in eodem sunt omnes colores singularum partium: & vt in eodem pane cerebrum aut cor ineſt inuisibili modo: ita etiam inuisibiliter insunt colores cerebri aut cordis. Nec aliter insunt sua natura colores, atque in grano quod seminatur, tota arbor. Nam in nutrimẽto sunt omnis generis nigrores, & cãdores, alijq; colores, qui apparẽt in corporis informatione. Colores itaq; non minus conseruantur nutrimentis, atque corpus, quòd tingũt: sua etiam loca

ea & proprietates accipiunt, non aliter, atque nutrimentum ſua. Hæc de coloribus nutrimẽti diximus. Eſt enim & alius color, qui non eſt nutrimenti, ſed ſterco rum. & hic duntaxat vnus eſt: qui differt ab altero, quòd hic ſit vnus, nutrimentũ verò omnes in ſe continet. Ex hoc nutrimenti colore fel accipit ſuam viriditatem & flauitiem. Quia in eo ſunt ambo colores cum omnibus ſuis gradibus. Vnde ſequitur, quoties colores ſe ſeparãt, quæ ſeparatio eſt origo icteritiæ, tunc ſe inuicem excedunt colores magis, quàm natura requirit. Nemo enim hominum poteſt eloqui multitudines graduũ, qui ſunt in coloribus. Sic etiã in cerebro varij colores albi & cærulei exiſtũt: propterea multi & varij colores in morbis cerebri inueniũtur. In ſanguine verò & carne rubeus & cœruleus, qui aparẽt in vibicibus, dũ corpus percuſsũ eſt. Omnes enim colores ſunt in corpore, ac in lucẽ producuntur cædendo & percutiendo corp⁹. Quia in ipſo ictu ſiue percuſſione nõ ſunt colores, verùm in corpore ſunt colores, quos ictus prouocat, vt appareant. Colores itaque indicant morbos,

quos hoc loco non describo, sed solùm indico, vt stercorum colores melius intelligantur. Qua de causa, quum tot colores perfecti sint in homine, quot in exteriore sphæra: sciendum est illud, quod prædiximus de emũctorijs & virtutibus digestiuis in illis esse multos ac diuersos colores, pro natura & varietate digestionis ac loci, quos colores stercus etiã extrinsecè retinet. Notate hîc qui sint extrinseci colores. Quemadmodum nihil erat ante cœlũ & terram, & iam aliquid existit, ita quoque nihil fuerũt colores, antequam producti sunt. Fuit quidem aliquid, antequam cœli & terra essent facta, sed nihil horum, quæ iam existunt. Aliquid quoq; fuit, in quo colores sunt facti, nihil tamen fuit comparatione huius, quod iam est. Si ergo illud ipsum, quod nunc existit, redigatur in nihil: permanet illud, quod antea fuit. Sic vbi colores euanescunt, manet illud, quod ante ipsos erat. Quod ita intelligetur. In cibo sunt omnes colores, ex quo & corpus suos accipit. Ex cibo igitur quum corpus colores accipiat, postquã certè accepit, permanet ille color, qui erat ante colo-

res

res apparētes: veluti hoc exemplum docet. Homo nihil aliud est, quàm excrementum, ex quo etiam factus est: vbi autem corpus sumit nutrimentum, nihil remanet præter sordes, ex quibus cibus creuit: Sic vnà cum nutrimento discedunt quoque colores. Vt porrò post separationem nutrimēti stercus remanet, ita quoque primus restat color: hoc est, ille color remanet, in quo omnes reliqui colores cōfusi sunt: qui alij dum absunt, res est mortua, ac vn⁹ est color, qui tamen reuera non est color. Sunt ergo colores cognoscendi & iudicandi per colorem, qui fuit ante omnes colores, pro natura cuiusque loci. Per hunc quoque hominum morbi sunt cognoscēdi. Vbicumque enim colores existunt alij, quàm illi, qui reuera nihil sunt, morbos indicant. Vnumquodque enim stercus debet carere colore. Propterea discrimē colorum est, quòd alius sit in essentia, alius in corpore mortuo. Sicut enim homo adhuc viuus differt ab eodem mortuo, ita etiam duo isti colores sunt inter se discernendi. Quapropter & plura nūc obseruate de stercorum coloribus. Ster-

cora quæ per anum expurgantur, colo-
res habent, in quibus nutrimenta eorũ-
dem locorum digeruntur: sic & epar e-
undem habet colorem. Quotquot ergo
sunt reuera colores, tot sunt etiam non
reuera colores, hoc est, qui non sunt co-
lores, & nihilominus corpus colorum.
Multa & varia quia sunt colorũ corpo-
ra, varia quoque sunt nõ colorum, vt pi-
tuita indicat colores cerebri, quæ pro-
prium non habet. Colorem etenim ac-
cipit cerebrum, & illud quod non est co
lor transit in stercus, quod non est nutri-
mentũ. Sic vltimæ materiæ iterum fiunt
primæ, quæ nihil sunt. nihil quoque exi-
stit vltima materia. Medium verò existit
aliquid reuera, hoc est illud, quod in pri-
mum est fusum, & ab vltimo sumptum.
Si hoc alios colores habuerit, quàm vl-
tima materia, hoc est colores primæ ma
teriæ, medico est subiectum ad iudican-
dum. Nam colores ostendunt morbos
corporis non stercoris. Stercus enim ni-
hil est, nec sanitatẽ, nec morbos efficit.
Idcirco cogimini primo colorum habe-
re cognitionem iuxta localẽ anatomiã,
quò sciatis ex colorum origine locorũ

colores,

colores,& per eos materiam morborũ, Sic enim cognoſcendi ſunt colores, & genera ſtercorũ: non vt ſtercora curentur medicina, ſed loca vnde ipſa prodeunt. Vos igitur falſò cholerã, melancholiam,& reliqua huiuſmodi examinatis & iudicatis, quæ iſtiuſmodi loca iuxta morborũ originem nullo modo apprehendunt,nec iudicare poſſunt. Quũ itaque nihil ſit in corpore, quod cholera aut melãcholia appellatur,nec in virtutibus digeſtiuis,nec in phyſico corpore:ergo obſeruandum eſt,qui cõmuniter colores in ſtercore cõcurrant: quod ea ratione fit, vt vnumquodq; membrũ attrahat id,quod ſibi conuenit. Quod ſi hîc aliqua perturbatio cõtingat,& nutrimentum ſe à ſuo loco ſeparet in ſuum emunctorium: tunc exit nutrimentum, nõ autem ſtercus. Nam immatura nutrimenta erumpunt, quæ non ſunt ſtercus. Quare non eſt rationi conſentaneũ, vt purges. Quòd ſi etiam eueniat, vt in eo ſtercus nullius odoris, ſed tamẽ cum ſuis coloribus reperiatur: obſeruabitis aliquot nutrimenta digeri, & ſtercus ipſius loci mittere:alia verò cùm ipſo mi-

ſceri,ac ſtercus adulterinũ efficere. Quę ſunt diligenter notanda, ac inde diſcendum,quòd per anum multæ virtutes digeſtiuæ ſe exonerent ac purgent. Similiter etiam multæ virtutes digeſtiuæ vrina ſe purgant. Nam ſingulæ virtutes digeſtiuæ ſua habent emũctoria ex ſua regione. Vnde ſtercora varijs poſſunt modis apparere,dum nutrimenta nondum digeſta concurrunt. Adhæc obſeruandum eſt,tempora ac cœlum tales efficere colores, quoties impreſſio nõ cõuenit in ijs cũ microcoſmi corpore, quod tamen cogitur eam ferre. Ex quibus cõſequitur,dum cœlum virtutem digeſtiuam interrumpit, etiam eius virtutis operarionem impediri,ac poſtea fieri cõfluxum colorum pro natura & efficacia cuiuſque impreſſionis. Hæc dum fiunt, in eiſdem locis patefiunt colores nutrimentorum,& morborũ, qui ſunt in ipſis virtutibus digeſtionis. Hinc facilè colligitur modum pharmacandi non intelligendum eſſe in purgãdo ſitum: ſed virtutem digeſtiuam eſſe reſtituendam, vt ſtercus ceſſet. Hoc donec nõ fit, ſemper magis ac magis augetur morbus,nõ aliter

ter acsi ros putrescat, quæ profert muscum, situm, aliasque sordes, quæ in ipsa crescunt. Hæc omnia vobis aliquoties repetūtur, ne prorsus in stercoribus submergamini, hoc est, ne vitam vestram in istis trāsigatis, sed potiꝰ discatis ea, quibus ad meliora possitis progredi. Post hæc notandum est: Quemadmodum diximus de variorum colorum origine & separatione, quomodo etiam ex bonis & viuis rebus tam multi & diuersi colores oriantur, in ipsis rebus latitantes, ex quibus postea stercus suos colores adipiscitur, iuxta quos iudicium sumitur: ita quoque obseruādi sunt colores mortui, hoc est, colores qui nascuntur ex putredine: quò discrimen verum sciatis, ne istos ęstimetis viuos esse. Sicut enim putrefactum quiddam ex homine mortuo fit, sic etiam colores eiusmodi oriuntur. Fatum non est homo, sed signum ipsius: similiter hi colores, nō sunt colores ipsi ex quibus originē sumunt, verùm ipsos indicant. Ac vt fatum nihil veri & certi demonstrat, sic hi colores nihil veri nec certi ostendunt. Quapropter nō est ferendum iudicium, nec tractādum quic

quã, iuxta istos colores: Quia non oriuntur ex natura quę ægritudines efficit, sed alia producuntur generatione: quare veterem generationem nõ indicant. In eo enim distinguũtur ac separãtur, quòd hi colores in putrefactione originẽ suã accipiant, quæ putrefactio separata est à viuis, nõ aliter atque vmbra à corpore, quæ ipsi quidem nõnihil adhæret, attamen re vera nihil existit. Putrefactio autem fit, quum stercus separatur per suæ digestionis emunctorium, fitque quadã morbi energia, qui in eadem digestione hæret separatus, qui idem morbus stercus efficit putridum, quia nõ est, vt conueniebat. Integrum & sanum exire decebat: sic enim non putrefieret. Omnis enim res, quæ putrescit, ex morbo, qui in ipsa latitauit dũ sana esset, putrefit. Sic videtis carnes putrescere ac sordere nõ aliã ob causam, quàm quòd vna caro ęgrotet, quæ licet sana æstimeẽ, nihilominus tamen morborũ principia in ea existunt, quæ sunt causæ putredinis in morte apparentes, hoc est, per putrefactionẽ se ostendentes. Nam omne quod nõ putrescit, nunquam etiam viuens morbo labo-

laborauit, nec morbo subiectum est, vt gemmæ, balsamus, & eorum liquores. Homine verò quum in aliqua corporis parte ægritudo cõtingit, & in eadem na scitur stercus, cõtinuò putrescit: siquidẽ ex imbecilla digestione oritur. Si autem digestio fuerit integra & salua, nõ putrescit stercus in corpore. Ad ea verò, quæ extra corpus sunt, non spectat meum argumentum. Causæ putrefactionis sunt variæ, quas nõ opus est hîc describere. *Mihi enim* est propositum, stercora describere, veluti modus pharmacandi requirit: deinde etiam vt describam virtutes digestiuas. Cęterùm error postquam talis accidit, vt ex stercorum coloribus, nõ cõsiderata eorũ origine, iudicia sint cõstituta: fallaciæ multæ sunt introductæ. Nullus enim color prodiens ex putrefactione, veri quicquam significat, ni si ex suo loco veniat. Propterea sterc⁹ retinet loci istius & regionis colorem, vt stercus cerebri retinet suum candorem & cœruleum colorẽ. Si autem loci stercus putrescit, tunc etiam ipse locus coloribus putrefit, &c. In felle est viriditas & flauities: quicquid ex eo putrescit,

hoc adhæret quoque coloribus: quod de omnibus partibus eodem modo intelligendum est. Hîc tamen mutatio huiusmodi contingit: Quotiescũque morbus incidit in putrefactionẽ, toties mutantur colores: stercora, quæ deberẽt tincta esse rubore, fiunt nigra & phænicia, quæ falso appellantur melancholia. Ex sanguine isti colores oriuntur: quomodo igitur melancholia erunt? Itaque iudicium de his coloribus est fallax. Eodẽ modo, quum res putrefacta deberet esse cãdida & cœrulea, efficacia istius morbi mutatur in leucophæam, quam iudicant esse phlegma, & nemo hominũ nouit quid phlegma sit. Sic quoque & reliqui colores mutantur in putrefactionibus. Qua de causa nõ est statim iudicandum de coloribus, quòd hęc iudicia sint omnia falsa. Siquidem colores adeo cõmutantur in diuersas essentias, vt nemo veram ipsorum originis matrem agnoscere queat. At vt coloribus impostura fiunt, ita quoque ipsa substantia. Tam enim variis modis morbi efficiũt putrefactiones, vt nemo dicere possit, hoc est cholera, vitellina, & sic erit eius cura.

Vir-

tus enim digestiua aliter ac aliter afficitur ad substantiam cõmutandam. Vnde sequitur curam nõ debere sumi ex cholera vitellina, sed ex digestionis signis. nõ refert etiam cuius sit coloris stercus. Summa igitur curæ habetur ex iudicijs digestionis nõ stercorum. Et substantia, colorque nihil aliud declarant, quàm quòd morbi sint in regione digestionis, quid verò sit morbi, nõ significatur. Hęc vt cõcludamus, obseruandum est, has omnes scientias & noticias debere accipi, earumque originem sumi ex virtutibus digestionis externis, quas ambæ sphæræ docent. In his donec medicus nõ fuerit bene instructus, nihil poterit quicquam rectè cõstituere in ijs rebus, quæ spectãt ad corpus. Ex corporis enim signis & notis nullus fit medicus. Quia microcosmica natura in ipso microcosmo nõ potest disci, nec deprehẽdi, quę externo in mũdo cognoscitur tactu & aspectu. Omnis enim medicus semper animo voluet, illud esse rectè cognoscẽdũ, ex quo homo natus est: & idipsum qualecumq; esse dicerit, tale quoq; cognoscet esse, quod ex ipso natũ est. Homo natus est ex mũ-

do,nō ex vna aliqua parte, ſed ex omnibus ſimul, & in omnibus perfectus creuit,ſicut & illud perfectum eſt, ex quo ſuam habet originem.Inſpicite quomodo infans naſcatur ſolùm ex patre & matre,& eſt ſolùm limbus. Quia ipſemet eſt limbꝰ, ex quo illud creſcit, quod ipſe infans exiſtit. Quemadmodum limbus iacet in matrice,qui dūtaxat eſt tāquam lutum,ex quo fiunt omnia,quibus parētes conſtabant:ita quoque hominis parentes ſunt cœlum & terra:propterea etiam natus eſt ac creuit in ipſorum natura & partibus,excepta imagine Dei. Sic nulla fit hîc ſeparatio, niſi imaginis Dei:natura permanet inſeparabilis cum patre & matre. Quū ergo parentes hominis ſint cœlum & terra,ex quibus poſtremò creatus eſt: diſcatis ex parētibus infantem,& anatomiam exercere in parentibus:eos diſſecate, non pueros. Vbi cœlum & terram cognoueritis,habebitis totius naturæ humanæ plenam ſcientiam.Vnde non immeritò dicere poſsū, ipſos omnes errare ac falli, qui ſuum iaciunt fundamentum diſcendi in puero, ac non potius in eo, vnde ipſe naſcitur.

Non

Non hîc loquor de ijs pueris, quorum parentes primi pueri exiſtunt, ſed de patre & matre Adami & Euæ. Nec offendat impediatque vos imago. Sic enim Deo viſum fuit, vt homo in tali imagine naſceretur. Itaque ex imagine nō fit medicus, verùm ex eo curſu & fluxu, qui ineſt imagini, hoc eſt vniuerſum cœlum, & vniuerſa terra: Ex illis naſcitur medicus, ac nutritur.

Finis.

LIBER PTOCHODOCHII PER DOCTISSIMVM VIRVM D. THEOPHRAstum Paracelsum vtriusque Medicinæ doctorem, conscriptus.

IN quo primũ tractatur de Chirurgia, & morbis in extremis apparentibus, quales in ptochodochijs esse solent.

2 *Correctio eorum, qui in ipsis curandis committuntur à doctoribus & magistris, & quomodo cauendum sit ab ijs: ne per eiusmodi errores malè curando eos, qui in ptochodochio diuertunt, ultionem & plagas Dei cõmereamur.*

3 *Quomodo communes medicorum inunctiones, fumigationes, lotiones, ligni abusus, aliaq; similia, quæ hactenus in usu fuerunt, abroganda sint, ac in ipsorum loca, nouæ progressiones & ordines restituendi.*

Hæc omnia traduntur cùm in gratiam eorum, qui in ptochodochijs ægrotant, tum in doctrinam ipsis, qui cupiunt pauperibus adesse curando, & eleemosynas largiendo, quò rectius omnia infirmis cedant, in usum, & non in abusum.

4 *Adiecta est quoque fini tractatio, de usu aliquot arcanorum medicamentorum. Quæ omnia per prædictum Theophastum sunt conscripta.*

THEO-

THEOPHRASTVS DOCTOR OMNIBVS MEDICIS salutem.

SVmmum, quod nos medici habemus, primò quidē ars est: quam deinde pari dignitate comitatur charitas: quarū vtriusque, spes est cōclusio. Si itaq; maximum apud nos ipsa ars existat: in summis etiam pars ea consistet rebus: videlicet primò efficacia & potentia cœlitùs data, deinde in nostra experientia, postremò in peritorum institutione & doctrina: Semper tamen negocij cardo & caput est artis peritia. Eodem modo & charitas se habet, quæ etiā summis comprehenditur rebus: hoc est, vt primùm hāc virtutem & facultatem accipiamus ex Dei amore: secundò vt in eodem amore iterū distribuamus: (Nā sicut ex Deo adest, sic quoque per nos idem declarabitur indigentibus). Tertiò vt in exercitio amoris sic ipso vtamur amore, nō aliter acsi nostra res ageretur. Medicinæ profectò caput est charitas. Nā pro charitatis magnitudine omnia

nobis ſuccedent:hoc eſt,noſtra charitas ſi magna ſit,per eam magnos fructus in medicina faciemus: ſin verò manca & imperfecta ſit,noſtri quoque fructus mali ſequentur. Siquidem charitas docet artem, nec vllus fit medicus abſque ea. Spes quoque ſita eſt in magnis experiẽtia comprobatis rebus:hoc eſt,vt noſtrę fidamus arti, & ſperemus ipſam nos nõ decepturam. Si verò in ſpe aberremus, cuius cauſa eſt hęc.Cuicumque ſpes deeſt,certiſſimum eſt,ipſum nihil ſcire.Solus enim ſciens verè ſperat: ignarus autem ſpe caret. Qui porrò ſcit, & ſperat, nullo modo aberrat,nec dubitat,ſed tẽpus expectat experiundi, quid placeat Deo de ægroto fieri. Secundò ſpes noſtræ artis fundata quoque erit in Deo, non hominibus. Cùm itaque à Deo habeamus,meritò poſſum⁹ ſperare:ſin autem ab hominibus acceperimus,nõ nouimus illud,quod ſperãdum eſt,niſi hoc vnicum,vt fortuna in nos aliqua conferat bona.Quare ſpes in Deo, non hominum doctrina, debet eſſe fundata. Quid enim homo aliud eſt, quàm id, quod imaginatione ducitur? Tertio animaduer-

maduertendum est,medicum æquè mirabiliter fieri,atque Adamum ex limo. Et quemadmodum Adamus omnẽ spẽ collocauit in Deum: quia probè nouit, omnia sua ex Deo esse:sic & medicus ani maduertet,suam Theoricam,Physicam & Practicam non aliter sibi inesse, atque Adamo sua loquela inerat, quam solus Deus ipsum docuit. Sic itaque medicus discet,& habebit mirabiliter medicinã, vt Adamus sermonem. Vt enim nõ possumus inspirare herbæ interiorem naturam:sic quoque non possumus videre in homine, quid ipsius natura postulat. Quid est homo aliud, quàm illud, quod exteriora aspicit, & interiora ignorat? Rerum occultarum naturæ scientia originem sumit à Deo magistro extra naturam posito:quem si sequamur,experientia nostra crescit. Idcirco vt in ipsam herbam introspicere nequimus, ita nec in hominem,quid in se occultum gerat. Si lingua ægrotantis medicum aliquid doceat,id tamen nihil perfecti existit. Per nos enim ne minimum quidem semen inuestigare possumus. Quare medici virtus prodit ex altissimo, qui ipsum crea-

uit,nõ ex minimo.Itaque,ô medici,quid nobis prosunt,nomẽ,titulus,Academia, si artem non habeamus? Ars efficit medicum,non nomẽ, aut Academia. Quid vtilitatis capimus, etiamsi magni simus nominis & æstimationis, magnamque ostentemus pompam, quum ars nobis desit? Aut quid conducit,nos magni fieri apud principes, magistratus ciuitatũ: ac in ipsis ciuitatibus ac regionibus affici magnis honoribus, si tempore necessitatis, quum pro beneficijs ac honoribus in immeritos collatis nos gratos deberemus præstare,arte careamus? Quẽ exornat honos,numus,annulus,&c. nisi cum,qui suá arte talibus potest respondere ac satisfacere? Artes profectò non crescunt nostris in capitibus, qui ignoramus,quæ sit interior herbarum natura. Artium hortus idem est cum arte colendi pomerium:ambæ confirmantur experientia, ac docentur & discuntur vltra naturam. Arbores in horto, si germina & rami amputentur,ac relinquantur solùm trunci,ad quid conducent? Nihil sanè prodest trunci ornatus, dum absunt rami:nullum enim ille fructum profert.

Istiusmo-

Istiusmodi arboribus ad truncos vsque amputatis similes sint medici illi, quotquot ex hominum visis atque opinionibus fiunt. Sunt enim ita putati ac mutilati, vt nihil præter trũcos relictum sit: hoc est ornatus capitis. Et quemadmodum trunci arborum nullum proferunt fructum, nec vllius sunt vsus, sed duntaxat ostentationis inutilis gratia existũt: ita isti quoque medici inutiles conspiciuntur. Sunt enim trũci, qui neminem sanitati restituunt, quãuis ratione truncorum spem fructuum promittant. Nulli sanè istiusmodi truncus prodest: quia nec sibi nec alijs fructum facit, quòd careat ramis, in quibus fructus prouenire solet Itaque & aliam similitudinem notate. Quemadmodum Gallicanus aut Sueuicus eques amputat equo caudam ostentationis gratia, quo videatur habere robustum, pulchrum & superbũ dorsum, vnde in æstate equus iste nihil habet, quo arceat & abigat muscas, atque ita miserè dat sui fastus pœnas, propter equitis ostentationem: ita quoque nobis medicis, quos inuadit superbia & ostentatio, idẽ euenit, quod Sueuico huic

equo, vt, videlicet morbis ingruentibus, nullum habeamus flabellũ, quo eos depellamus, & sic morbis vexamur, sicut equus muscis & bromis. Siquidẽ nostra superbia & fastus, catenæ & annuli, nomẽ ac titulis, nihil aliud sunt, quàm caudæ truncus relictus: cauda vero ipsa, que prodesset, nõ adest. Hoc vos medici persuasum vobis semper habebitis, medicũ nihil aliud esse, quàm ipsam artem, quæ vocatur medicus, non persona. Fieri potest, vt quis sit doctor, & non medicus, quales sunt isti, qui omnia referunt *ad* ostentationem, non artem: Vicissim esse potest quis medicus, & non doctor. Si ergo superbia, & fastus nullus precij nec vsus sit etiam illis, qui aliquid nouerunt, idq; facto probare possunt: quid proderit istis, qui omninò nequeũt honorem nec superbiam excusare vel defendere? Ex quo facilè intelligitur, quòd nec Deo, nec medicus à Deo creatus, quicquam istis infuderit, quãtumuis sua opinione concepta peritia, & persuasa noticia se magistros medicinæ salutari nolunt: qui tamen non aliter facti sunt, ac si rusticus vehat frumentum in forum, excidatque granum

granum aliquod in terram, quem sequitur aliq̃ fimo aut stercore asinino, ex quo aliquid decidat super granũ, vt crescat, surgatq̃ue in culmum, qui fert spicã in anem: hîc culmus similis quidem est tritico, reuera tamẽ ab ipso plurimum differt. Sic enim nostri fiunt medici: Quoties ægrotum curant, totum negocium versatur in fortuna, quasi cæcus thesaurum inueniat. Fundamentum istorum est, ensem efficere vulnus, præter illud *nihil sciunt*. Gladius sanè non requirit medicinam, sed id quod ipsam postulat est natura, quàm ignorant, solùm verò gladium nouerunt. Quomodo rusticus arborem plantabit, qui terræ naturam ignorat? Facilè fiet, vt eam lapidi aut arenæ inserat: siue deinde crescat, siue non, fortunæ negocium committit. Talis arbor vt solet exsiccari, nec bene prouenire: ita quoque contingit ijs, quos isti curandos suscipiunt (modò non deterius succedat) arboris istiꝰ similitudine euanescũt ac pereũt, hoc est, omnia ea, quæ alijs prodesse solent, his aduersantur: tãquam arbori inordinatè plantatæ nec pluuia, nec ros, nec sol prosũt, sed omnia

obsunt, sic etiam istiusmodi curato homini. Qua de causa mihi æquum esse videtur, vt omnibus in scriptis illa bonis & malis simul medicis significentur, quò prudenter in istis agāt rebus. Rectè sunt plantata, quæ hyeme permanent, ac bene curata, quæ carne suilla nō offendun tur. Persuadetnè sibi vulgaris ac rudis medicus, hāc artē adeo esse facilē? arbitranturnè adeo citò acquiri? aut cur æstimatis, vos perfectos & certos medicos? aut cur veraces? qui videtis ac certo deprehēditis quotidie in omnibus *vestris* artibus, vos nihil ferè certi habere, imo ne vnum medicinæ scrupulum absque sollicitudine & dubitatione ægrotis nouisse porrigere, nūquam eius certi estis, quod præstare conamini. Illáne est magna medicina, quæ sua tractat cum tali sollicitudine? Ac doctor siue magister eius cur non deberet admoneri & reprehēdi, & cur se irreprehēsibilem statuet, tanquam perfectum certumque in curando medicum, quum singuli manifestè deprehendāt, se valde esse imperitos? Hæc omnia testantur, nos longè maioris nos metipsos facere, quàm reuera sumus:

mus: obliuiſcimur noſtræ imperitiæ & inopiæ: quod fit ſuperbia & magna inuidia, quæ iã radices altè egit in nobis medicis. Veriſſimũ hoc eſt, ſi oculi hominũ cernerent noſtra corda & animos tam verè, ac natura ægrotos intelligit, ipſorumque affectionem ſcit, quid futurum eſſe exiſtimatis? Sæpe toti horreſcerent, ac noſtros aureos annulos, veſteſque martorum pellibus ſuffultas conſpuerent.

Quæcumque hactenus enarraui, ſunt præ reliquis nota & conſpecta, vt quòd ea ſic ſe habere probem, magis ad aperiendum animum meum experientiamque iudicandam fiat, quàm quòd rei veritas probatione indigeat. Cauſæ verò ob quas hunc librum ſcribo, ſequentur ordine. Vos interea medicos omnes admonitos velim, vt non me ſpectetis, quẽ odiſtis, ſed in voſmetipſos deſcendatis, ac vos intueamini: deinde iudicium de me feratis. Ego creui in veſtris hortis, ac inde tranſplãtatus ſum in alium: hoc eſt, in eo horto enutritus ſum, vbi arbores putantur, eramque Academijs non parùm ornamento. Vbi verò Archeites vi-

dit mei incrementum tendere ad ſuperbiam & faſtum, accepit occaſionẽ tranſplantandi ſe in alium hortum. Quemadmodum enim optima arbor pomifera effoditur, ac eius in locum plantatur tilia, ita & hîc fit. Nam fructuoſa vis tollitur, & medicus degenerat in ornamentum & delectationẽ, non aliter ac *tiliæ*: arbores verò frugiferæ radicitùs extirpãtur. Propterea amputatio & tranſplantatio in alium hortum facta eſt, hoc eſt, adverſandum in experientia certa, *quò* & ipſa amputatio prorſus relinqua*tur*. Itaque & vos me odiſtis, quòd ſcribã & doceã nihil tale, quod ad voluptatẽ ſpectet, verùm ſeriò ad ipſam neceſſitatem, & iubeam vos perpendere & examinare ea, quæ à veteribus dicta ſunt. Negabitis nè me phyſicum eſſe propterea, quòd magni faciam chirurgiam, eamque amplificem ac in vigorem producam? quæ hactenus mihi fuit fructuoſior, & ægrotis vtilior, quàm ſi deſcripſiſſem veſtram totam philoſophiam. Quia chirurgia multo plura naturalia vſurpat, quàm phyſica medicina. Obſtupeſco admiratione ſimplicitatis veſtræ, quòd chirurgiæ

giæ originem non intelligatis. Vestra enim sententia sum chirurgus non physicus. Quo illud argumento iudicatis? Qui publicè octodecim principes à nobis desperatione desertos (absit gloriatio) per physicam in integrum restitui: qui in inferiori Germania, in Romania & regno Neapolitano, in Venetorum, Danorum ac inferiorum Germanorum bellis innumeram multitudinem à febrib⁹ liberaui, & vltra quadraginta morbos corporis interiores siue physicos, qui in illis bellis sæuiebant, in sanitatem conuerti. An non ad hæc medicus requiritur, qui mendacia scribentium à vobis auertat? qui errores & abusus indicet? qui denique his finem cupiat imponere eum, quem vos fugitis? Et mea experientia, quam ex Lituania, Hollādia, Vngaria, Dalmacia, Croatia, Rhodo, Italia, Gallia, Hispania, Portugallia, Anglia, Damia, & omnibus Germaniæ partibus magno labore consecutus sum, mihi ignoniniæ & contemptui vertetur: cùm etiã in vestra sepe causa plus ęgrotis profuerim, quàm vosmetipsi? Arbitrabar me rem gratam vobis præstitisse, ac laudem

adepturum, quum veſter faſtus inſurgat aduerſum me. Non eſt medicum, veſtitũ mihi opponere: nec laudabile, fauore cõtra me agere. Hoc autẽ eſſet eximiæ artis, veſtrã experientiam in me excitare: veſtra facta mihi obiicere: infirmorum curationes ob oculos ponere. Aliis profectò me non ſuperabitis. Nam Rheni & Danubij tractus, ac multi boni viri, qui mihi familiaritate iuncti fuerunt, teſtantur, quòd veſtes, domus & agri, quæ veſtrũ quiuis etiam poſſidet, mihi ſæpe per menſem vnum non ſufficerẽt. Quid igitur obiicitis, me ne ſortem quidem meam poſſe cõſeruare, quæ eſt mea ars? Non eſt medici laus, potando ſua bona decoquere aut profundere, ac ad ſummam redigi paupertatem. Ego meorum bonorum ſortẽ pulcrè tutatus ſum, ſed eius tantummodo fructum pecuniam conſumpſi: qui etiamſi comitatus eſſet, non tamen quicquam de ſorte diſceſſit. Videte, vt vera bonorum ſorte mecum certetis, alioquin actum (quod aiunt) agitis. Siquidem ex vero fundamento medicinæ ego vobis debeo, & vos viciſſim mihi neceſſitudinis vinculo oſtendere errores:

errores: quò tandem mutuis admonitionibus res eò redigatur, vt nullus ægrotantium perdatur, nec ab arboribus vincatur.

DOCTOR THEOPHRASTVS diuitibus salutem.

QVid prodesset, multa de ægrotis & pauperibus scribere, quomodo ipsorũ sanitas foret restituenda, nisi vos quoque diuites vestri officij admonerem? Quia pauperibus absque diuitum auxilio nihil boni contingit. Sunt enim cũiuncti pauperes & diuites tanquam catenæ partes. Sicunt enim catena, quatenus suis partibus integra permanet, nullo modo rupturam admittit: ita quoque diuitum & pauperum catena debet esse integra. Hãc catenam vos diuites diligenter considerate. Nam vestros annulos si frangitis, non solùm catenam rumpitis, sed & ipsi tãquam fracti annuli reijcimini. Cur igitur vosmetipsos soluitis, & negatis auxilium pauperibus? Quemadmodum enim, si quispiã annullos aliquot ex catena tollat, hæc

tandem nimis ipsi breuis redditur: ita & vobis absq; pauperibus via nimium est breuis in regnum cœlorum, nec metam assequi potestis, ad quam extendi debet catena. Vnde animaduertendum est, omnes vestras tam diuitum, quàm paupe rum ægritudines, quibus in terris obnoxij estis, vno in ptochodochio esse coniunctas, quod est hospitale Dei. Hinc sequitur id, quod & vos videtis, ac fateri cogimini, mortem & morbos non magis vobis parcere, atque pauperibus. *Ex* quo etiam discite, ac sedulò obseruate, vos non posse ex hoc hospitali effugere, aut euitare, quò minus in illud peruenia tis, sed omnes etiam principes ac magistratus, quacumque ratione congregatos, simul in ptochodochio decũbere, siue moriamini, siue sanitati pristinæ restituamini. Qua de causa hunc librum conscribo, eumq; ptochodochium appello, eò quòd illum non in vnius tantùm, sed omnium æqualiter hominum vsum atque vtilitatem destinauerim. *V*num quamuis sit ptochodochium (vt dictum est) in vniuerso mundo: attamen diuisio & separatio in eo fit ægrotantiũ:

nulli

nulli permittunt se hac catena cõstringi:alius se à fratre suo separat,quo melio ipso obseruetur:alij socios deserunt, vt aliqua cõmodius viuendi prærogatiua guadeãt.Sic principes permanẽt in suis aulis,diuites in palatijs:pauperes verò in angulis iacent, qui à diuitibus segregati deseruntur,non secus ac si quispiam vinculis siue carceribus inclusus ab hominibus seiungatur. Coquina quidem nũquam amouetur ab aulis & palatijs,nec etiam à diuitibus:nam diuitum & culinæ nulla fit separatio. Pauper autem relinquitur in angulo vel carcere suo. Et maioris hospitalis catena licet semper per se maneat integra,tamen sic aliquomodo rumpitur,vt annuli se disiungãt. Hæc ruptura fit, dum nos relinquimus pauperes adeo desertos ac miseros,vt canes plus charitatis ipsis exibeant, atque nos.Hæc memoriæ mandate, ac animo voluite legem naturæ: Quàm auide cupiatis vobis omnia necessaria præstari, quoties ægrotatis: & pauperes si forent diuites,ac vos vicissim pauperes,perpendite quæ ipsimet subinde loquamini æ-

grotantes, non posse vos cibo & potu pauperum, nec tali cura, nec domo viue re: Ac vestra ipsorum hæc est phrasis, Si mihi in meis morbis ita miserè viuendũ esset, mox necessariò morerer: sic vestra natura inde abhorret. Hæc si vobis euẽniãt, quemadmodum ipsi testamini, eadem & pauperibus vsuuenire cogitetis. Charitas Christiana & Christi mandatum, imo & gentium naturalis amor cogit, Quicquid volueritis vobis in necessi tatibus vestris fieri, idem & vos indigentibus præstabitis. Hoc gentes obseruarunt, nec consolationem, aut promissionem Dei in eo vllam habuerunt: nos autem in eo consolationem ac promissionem à Christo habemus, & nihilominus peiores nos gentibus declaramus. Nota te quid viro vulnerato in Hierichũte cõtigerit, quem deserunt sacerdos & Leuita, Samaritanus autem iuuit. Cauete ne per Sacerdotem & Leuitam nos Christiani intelligamur, & per Samaritanum gentes: Sic enim ipse nos præcederent in regnum cœlorũ. Diues, qui suam benignam manũ porrigere vuult, & pauperibus ægrotis atque egenis hanc charitatem

tatem declarare, non opus habet meis admonitionibus. Quisque enim preditus est cognitione propria admonendi seipsum. Causa verò ob quam hæc scribam vosque admoneā, hæc est. Scriptura sacra promittit salutem ęternam ipsi, qui intelligit pauperum necessitatem. At intelligētiam istam vnde accipietis? Certè ex obiectis oculorum, & per medicum, veluti oculis cernitis. Sint hæc vobis scriò cordi. Iubent enim nudos à vobis vestiri, & esuriētes satiari, &c. mādāt vobis quoq; vt infimis auxilio sitis: verùm vos ignoratis quomodo. Propterea Deus medicum dedit, qui vobis indicet, quid afflicto desit. Psaltis sentētia est, nos debere rationē scire succurrēdi. Quomodo enim subueniet afflicto, qui ignorat, quid ipsi desit? Qui mancus poterit absque manibus ex fouea extrahere? Profectò vt talis in fouea iacēti nō est auxilio: ita nec vos diuites pauperibus prodestis, quum non intelligatis, quibus in rebus sit ipsis succurrendū. Nam istiusmodi ignorantia misericordis ac fidelis diuitis confirmatur potius ægritudo pauperis, augentur ipsi vulnera & dolores,

maioraq; in morborum pericula inducitur. Idcirco Psaltes semper versabitur ante oculos vestros, quò eius discatis mentem, eamque sequamini, idque solùm ea de causa (inquit) ne pereatis: ne modum agendo excedatis, neúe ab eodem deficiatis. Itaq; & hoc vos monet, Si imprudenter egeritis, ac pauperũ miserias auxeritis, veluti per indoctos medicos, & per incertam, nullaque vera ratione probatam medicinam: vobismet communicationem talẽ fore oneri, vestrasque eleemosynas testari vestram negligentiam, quòd eas temerè præstetis, persuasi vos numero & magnitudine satis feciſſe, ac ipsis charitatis officiũ præstitiſſe: quum tamen sanctus Propheta vlterius moneat, non tantùm esse summam implendam, sed & sentẽtiam. qua de causa & ego hęc scribo. Itaque Psaltes cùm dicat: Si vos intelligentia pauperibus & indigẽtibus succurratis, Deus vos custodiet, & vos vita donabit, hoc est, conseruabit vos sanos, & lõgæuos: quin etiam si verè morti essetis destinati, nihilominꝰ viuificabit vos, id est mortis terminũ differet, ac beatos in terris efficiet

quo

quò bona terræ possideatis,& anima vestra omnibus inimicis suis resistet. Si ergo intelligentiæ tanta potẽtia ac virtus existat,ac adeo magnis illi extollantur laudibus,qui intelligentia agunt:cur nõ æquissimum foret,vobis, sententiam & intelligentiam proponere,vt vestram exerceatis fidem vera intelligentia, non absque iudicio profundatis? Vnde & Psaltes hæc subiungit: Si vos ægrotaueritis,& dolore afficiamini,Deus vester erit medicus: quia intelligentia visitastis infirmos,ac vtiliter & fructuosè eos cõsolati estis:sic quoque Deus, dum eum in angustijs constituti oraueritis,cõuertet infirmitates vestras. Ne autem hoc loco quicquam omittatur, animaduertendum est,multiplicem esse intelligentiam in pauperes & egenos.Nã alij ipsos consolantur verbis,& hæc est vna intelligentia: alij verbis & vestibus, quæ est maior intelligentia:alij ipsos hospitio recipiunt,estque adhuc sublimior intelligentia.Has intelligentias omnes addite & accommodate vestris diuitijs,quò eas Deus augeat. Neminẽ enim permittit paupertate premi,cuius intelligẽtia er-

ga infirmos integra est. Hoc sanè cùm e-
ueniat in rebus communibus, quæ mor-
bos ipsos non leniunt, nec mitigāt, imo
nihil prosunt, nec sanant: quanto maius
ac sublimius est, si vero pauperum & e-
genorum amore subijciatis vos medici
næ, ac non pudeat vos in ea intellectum
quærere, vt vestra charitas regatur intel
ligentia, quæ ostendat veritatem syncē-
ræ vestræ charitatis? Tali charitate erga
pauperes accipitur pauperum regnum.
Nam quomodo rex insipiente vtetur?
Eligit intelligentes. Sic quoque Domi-
nus elegit in regnum pauperum intelli-
gentes, & qui infirmis, tanquam Domi-
no suo diligentissimè ac prudenter inser
uiuerunt. Et quemadmodū rex insipien
tes expellit, pro stultis & fatuis habet, v-
turq; ipsorum opera in ijs officijs, quæ
obire sapientes pudet: sic & vos conside
rabitis, eum quoq; vobiscum acturum,
si temerè egeritis, nec discrimen habue-
ritis, vtrùm bona an mala præstiteritis.
Propterea requiritur intelligentia. Nec
vos illud moueat, quòd in multis ægro-
tātibus, nec auxilium, nec fides, nec ars,
nec beneficia, nec alia omnia quicquā
prosint.

prosint. Sunt enim sic ordinati: cuius dispositionis, aut etiam prædestinationis causas alijs locis copiosè explico. Quæcumque nullo modo restitui possunt, & iam dissoluta sunt morte, quis in integrũ restituet? Fideles semper estote, nec vnquam desperate, sed perseuerate in charitate: artem, aliaque media non contẽnite, sed vosmet instruite, vt intelligentia sit in vobis: ne in fidelitate vestra & intelligentia medicinæ contingat error, sed sit naturæ. Vos interim permanete mites, misericordes, & cum iudicio distribuite eleemosynas vestras, cõsiderãtes quos fines sortiãtur, & quos fructus faciant: ne autem vllo modo committatis vos insipientiæ, non solùm quantum ad vos ipsos attiner, sed medicos etiam verè peritos quærite, cùm alioqui videatis medicinam turpius aberrare, quàm meretrices suis in locis, atq; adeo temerè traditam esse imperitis, qui ea abutũtur sua temeraria & ludicra noticia & intelligentia: vestrasque eleemosynas, quas largimini vobis & sibi venena efficiunt. Expergiscimini vos diuites, ac vigilate, vt constantiores & mitiores sitis

intelligentia, quàm vllus hactenus fuit. Nam hoc tempore veſtra miſericordia & beneficia magis probatur, quàm à Salomonis tempore in hãc vſque horam: nec diuites vnquam magis tentati, nec in tentationes inducti. Quare & veſtra miſericordia & beneficentia excedat beneficentiam omnium diuorum, qui hactenus fuerunt. Quapropter cùm ad veſtri, veſtrorumque morborũ inſtitutionem, tum ad pauperum atque egenorũ vtilitatem hunc de hoſpitali librũ, conſcribo, diſtributũ duas in partes: in quarum priori (vt cernere licet) tractantur chirurgici morbi, in altera phyſici morbi ſeorſim ſunt impreſſi, in diuerſis tractationibus: ne chirurgus oneretur duplici emptione, nec plura ipſi proponãtur, quàm poſſit intelligere, & vt phyſicus medicus ſua ſeorſim habeat, quum chirurgiæ ipſum pudeat, quæ tamẽ plus honoris adferret, quàm detrimenti. Velim quoque vos his rogatos, ne ſcriptis meis inuideatis, aut illa adeo perſequamini tanquam perſonam, nec ex vllius ſermone blando me iudicetis. Prudens enim vir ſi animo perpẽdat, comperiet blandum,

blandum sermonem esse principiũ impostura: veritas autem non fert blandas orationes. Cernitis ipsi adeo magnos errores & imposturas in medica arte versari, vt multitudo librorum nequeat ea defendere. Quare ea, quę hoc opere tradentur, breuiter hîc proponẽda sunt, ne tanquam pictæ imagines inspiciãtur. Hos labores meos grato accipiatis animo, atque ea fide ac syncerîtate eos perpendite, qua liber ipse vos instituit ac docet.

PARTITIO LIBRI.

TOtus liber distributus est in quatuor tractationes, in quibus traduntur omnium chirurgicorum morborum perfectæ curationes.

In prima tractatione docetur, quomodo impostura, quarum viginti antea in lucem prodidi, omnino sint abrogandę, nec amplius in operationem proferendæ: quarum ego in locũ alias substituo curas, quò inutilis ista ac nullius virtutis medicina prorsus è medio tollatur, ac eius in locum substituantur alij ordi-

nes,progressiones, aliaque huiusmodi. Quæ omnia sunt conscripta impostoribus,quo fallacijs consuetis abstineant.

II Secunda tractatio continet,quomodo morbi chirurgici curentur pro naturæ ratione atque ordine:hoc est,pro vero vsu,qui in morbis curādis requiritur. Composita hæc tractatio est antiquis illis, qui nouis impostoris non sunt inquinati.

III Tertia tractatio declarat dietā,quę videlicet sit ratio cibi & potus ægroto habenda, similiter aerem , habitationem,obseruationes ægrotantium: hoc est,quomodo istiusmodi in curis debeāt tractari.

IIII Quarta indicat aliquot accidentales morbos,& cautiones,quæ prēter medicinam & ordines prędictos sunt considerandā,potissimùm,vt arceantur.

PRIMA TRACTATIO.

QVoniam,vt prædiximus,in prima parte agetur de impostoris, animaduertendum est, tres impostoras coniungi,quarum in locum ego vnā medi-

medicinam constituo: Hoc est, loco vnctionis, fumigationis & lotionis, substituo vnicum horum trium caput, quod est Mercurius. Quicquid enim istis tribus effici solet, id vnus præstat Mercurius. Si ergo Mercurius suum & præcipuum existit ipsis medicis, quorum ars versatur in vngendo, fumigando & lauãdo: commutatio in eo cõsistit, vt tria ista prorsus tollantur è toto ordine suo & progressione, ac ipsorum loco habeatur subiectæ medicinæ ordo & progressio. Nam quatuor errores cõmittitis in istis iam dictis tribus. Primùm ipso loco abutimini, hoc modo: Vires Mercurij vngendo immittitis in corpus, quod nullo modo fieri debet: sed ita ipsius Mercurij virtutem præparabitis, vt sit æqualis Tyro, vnde tyriaca suas vires sortita est. Secundò abutimini Mercurio in tempore, id est, vt aut nimium, aut nõ satis vngatis, fumigetis, aut lauetis: cui malum symptoma coniungitur, quod auertetur per ea, quæ sequentia docent. Tertiò abutimini ipso mala præparatione, qua efficitis morbum periculosiorem, quàm antea fuit. Quartò dosi abutimi-

ni,non obſeruantes modum quantitatis,quo ſingulis vicibus medicina ægrotis adhibenda erat, qua in re plurimum contra naturam peccatis: Quapropter notate,quum vos tres iſtas impoſturas in vſu habeatis,non poſſe illa modò dicta quatuor mala, quæ ex tribus iſs naſcuntur, euitari. Quò autem iſtas tres impoſturas relinquatis,deſcēdite in vos ipſos. Quia ipſimet cogimini fateri, vos nihil certi, aut rationi conſentaneū habere,aut artibus iſtructos eſſe. Eā de cauſa pauciſſimis admoneo vos: primò, vt obſeruetis omnes morbos, quos vos nouiſtis,aut ſoletis curare vngendo, fumigando,aut lauando,rectius curandos eſſe ſequenti formula. Quum autem vobis non ſatis liqueāt ſigna,quibus iſtiuſmodi morbi dignoſcantur,& vtrùm iſta arte queāt curari,nec ne,notate aliquot ſigna ſequētia,quæ vos vnà cum veſtris inſtruent, ne fruſtra infirmos aut ſuſcipiatis,aut inſtigetis vt alij ſuſcipiant. Omnes quippe morbi gallici, qui mouentur in paroxismum pro tempeſtatis ratione,vel operatione luxuriæ,ſpectant ad hanc curam, & præcipuè ij, qui tranſeunt

seunt in corporis concauitates. Quicũque verò tales non existunt, eos ne susci piatis curandos. Quicumque morbi nõ curantur sequenti formula, nunquam tolluntur vngendo, fumigando, aut lauãdo. Adhæc persuedeatis vobis certissimè, vos subiecta medicina neminem posse perdere, nec lædere, nec infirmitatem efficere, verùm semper aliquid ea boni præstari. Præterea hæc vos timore & sollicitudine non perturbabit, verùm omni metu vacabitis, qui vestros animos occupasset, si rem aggressi fuissetis arte vestra dubia & incerta. Et quamuis mallem vos ita introducere ad interiora & fundamentum sequentis tractationis, vt primam omnino relinqueretis, hancque secundam consuetudine & vsu adeo bene intelligeretis, atque imposturæ vobis nunc sunt familiares: tamen hoc illud fieri cùm nequeat, sequẽtem formulam vobis trado, quàm facilè, citò, & minoribus sumptibus, periculis, laboribus & sollicitudinibus potestis comparare, quæque saluo honore & dignitate potest vsurpari: vt, si constanter medicos agere, & ab arte vera nõ defice

revolueritis, deteriora valeatis reiícere, & meliora recipere, atque in iſtorum locum ſubſtituere. Quanquam & ad hæc facilia, veſtra intelligentia nimis ſit exigua & rudis, quæ omnium requirit maiorem exercitationem & diligentiam in diſcendo. At cùm ætas maturior & conſuetudo, ne dicam etiam, pigritia ac moroſitas obſtent, quò minus meliora capiatis: opinor me laterem (quod prouerbio dicitur) loturum, etiã ſi plurima vobis hac de re ſcriberem. Poſſem omnia quoque melius ordinare ac diſponere: at peritiores medici, quoniam hac tractatione non vtentur, ſed iis duntaxat quæ omni impoſtura carent: igitur nihil amplius reſtat agendum, niſi vt practicã incipiamus.

PRACTICA.

Recipite aqurũ, aluminis, vitrioli, ſingularum mediam libram, & ſeorſim diſtillatam absque vllo aſcenſu ſpiritus: aceti diſtillati libram & ſemiſſem: albuminis ouorũ duriter elixorum libras quatuor: quę miſceantur ac ſecundò diſtillentur.

Deinde

Deinde huic aquæ in bocia vitrea addas tres libras turbith mineralis, ac simul destilles, donec exiccetur, posteaque iterũ affundas: hoc repetas, donec turbith tingatur colore florum conuallij. Quo facto, addas eiusdem ponderis vinum sublimatum, quod etiam destillãdo ab eo separabis, ac aliud infundes, idque repetes sexies magno satis igni, donec inuenias colorem similem calthæ floribus: & sic turbith est confectum. Quod quidem poterit vobis prima fronte videri difficile & sumptuosum in præparando, sed rursum animaduertite, id maximæ ægrotantium multitudini sufficere, ac viliori precio cõparari, quàm pixides emuntur, quibus vestra vnguenta circũfertis. Practica verò hoc modo se habet: Quandocumque certò nouisti infirmũ posse vngendo, fumigando aut lauando curari, tunc ante omnia ipsum purga hunc in modum:

R. electuarij de succo rosarum scrupul. 1. turbith præparati grana quinque: des ipsi vesperi paulo ante cœnam, & tãtundem manè, & vesperi iterum eandem quantitatem. Hoc facto, persuadeas tibi

certissimè,omnes sordes, que vnctione, fumigatione,ac lotione auferendæ erãt, vel auferentur,his tribus dosibus omnino tolli.Poteris quoque pro ratione personæ,granum vnum aut alterum addere,vel demere.Quod si tibi videtur consultum,vt æger secũdò inungeretur, poteris similiter & nostra formula secundò,imo & tertiò vti: Semper autem omnia, quæcumque vngendo, fumigando & lauando efficiuntur, atque ad finem perducuntur, etiam hac nostra medicina proculdubiò curantur:econtrà quæcumque hac non præstantur,ea nec perficientur vngendo, nec fumigando,nec lauando.Tales quidem formulas & curas tradidi aliquoties & in alijs libris,attamen hanc præ reliquis vobis suadeo, quòd ea tutissimè,absque omni metu & pernicie ægrotantium vti possitis.

Si porrò inter curandum, dẽtium dolores,exulcerationes,aliaque similia acciderint:ea curabitis communibus gargarismis ex staphisagria,prunella,& similibus,quos hoc loco non opus est describere,cùm eos alioqui omnes antea perceptos habere debeant.Si verò foramina

na insint corpori, ea maximè requirunt industriam. Ad quæ curanda accipe Vnguenti siue olei ouorum quartam libræ partem, prædicti turbith contusi ʒ.ij. ac misce. quo vnguẽto obliges vulnera, donec purgentur ac maturuerint: postea omnino sana, vnguento aloepatico: cuius descriptio hæc est.

Recipe aloepatici ʒ.ij.
Croci Martis ʒ.iiij.
Thuris ʒ.ij.
Mumiæ ʒ.vj. (aliàs ʒ.j.ſs.)
Mellis,
Terebynthi,
Vitellorum ouorum,

Singulorum equale pondus, quantum sufficit: hæc contundas ac misceas in in vnguentum. Quicquid hoc vnguento pristinæ sanitati non restituitur, ne cogites illud vnctione, fumigatione & lotione vnquam te curaturum, aut saltem aliquid boni effecturum. Persuadeas tibi quoque certissimè, nullum infirmum tibi maledicturum, aut posse maledicere aut infamare, certusque eris, te neminem læsurum, multo minus perditurum, veluti antea soles, inficiendo totũ

corpus Mercurio: ex qua infectione omnibus medicis te sequentibus ignominiam & obtrectatio expectanda & metuenda fuit, susçipientibus tuam ignominiam & infamiam, tuos errores & vitia: illud malum ipsis imponis, tu interim abluis tuas manus, tãquam insons, imo etiam alios vituperare audes: quæ tu ipse turpiter perdidisti, alijs ascribis ac imputas. De hac obtrectatione, vitio atq; pernicie, breui tractationem peculiarem in lucem edam, vt singuli vicini intelligant, cuínam medicó, primo an postremo, malum ascribere debeant.

DE MEDICINIS, QVAE IN locum corrosionis, cauterij, sectionis, & putrefactionis sunt substituendæ.

QVemadmodum illud, Quid pro quo, intelligitur vulgo, sic semper satius est, veram accipere medicinam, quàm falsam & inutilem. Cæterùm medici quum ita sunt hîc affecti & informati, vt opinetur sibi leuia & vulgaria

garia duntaxat esse discenda : quatuor has partes cõiunxi,ne si ptochodochiorum fiant medici,sine misericordia truculenter agant:sed huiusmodi corrosiones,sectiones,cauteria & putrefactiones omnino relinquãt,ac breuiter ipsorum loco melioribus vtãtur:quibus arbitror me ipsos eò redacturũ,vt ipsi met à prioribus abhorreant,ac suorum concipiãt odium. Scitote igitur, quandocumque vobis constat,quatuor prædicta esse vtilia & necessariò ad curam requiri,tunc Recipite aluminis de rocho lib.j.

Succi herbę sophię lib.ij. destilla simul.Hac aqua per quatuor aut quinq; dies madefac loca ista,quæ arbitraris requirere priora quatuor, singulis diebus ter.In his,si nihil negligentia ommittatur, obdormiscit ac stupefit illa regio, quam antea iudicasti vitio laborare,coloremque suum commutat in candorem. Hoc facto isti loco nihil amplius adhibebis,verùm relinques,donec seipsum purgarit.Nam seipsum, etiam ossa, aliaque omnia malè affecta consumit absque dolore.Postea illi applica mundantia ex turbith,donec omnia pura &

mũda cernas: postremò sana eo modo, quem suprà descripsimus.

Rarò istiusmodi medicinæ necessarię sunt, nisi in generatione Verutræ, & in ossibus, quæ argento viuo exonerantur, vel veneno infecta non liberantur: tunc eximunt Mercurium, nisi os mortuum fuerit, ex quo tantùm auferunt, quantũ inuenitur esse mortuum. Quare vos admonitos velim, præsertim eos, qui prædictis quatuor conantur præclara efficere, & laudem honoremque *sibi* comparare, vt vicissim cogitetis, exiguã esse laudem, audere hominem perfodere: qui aduersarios suos beneuolẽtia vincit, laudem obtinet. Quemadmodum nunc vobis rationem vincendi de aqua prædicta indicaui: ita etiam sine dubio plura huiusmodi experimenta sequentur, (si modò hæc probentur) quæ vobis ægrotisque maiorem in vsum & laudem cessura sunt.

DE

DE SVDORIS PROVOCATIONE, Lotione in balneis, purgatione, & abstinentia, abrogandis, & alijs in istorum locum substituendis.

SAtis superque à nobis ostensum est, quænam ex quatuor suprà dictis medicinis, sudore, lotione, purgatione & abstinentia, mala oriantur, ac quomodo omnia peiora efficiant. Præterea satis manifestè indicatum est, quid velim intelligi præter ea, quę verba simpliciter significare videntur. Nunc porrrò mihi proposui in hoc ptochodochio hæc etiam quatuor abrogare. Cæterùm multi quum sint medici, qui ab hac doctrina nequeant auelli, aliam medicinã, quę loco istorum habenda est, docebo, eamque suadebo vt exerceant. Hoc verò vt faciam, magna ipsorum imperitia me mouet. Nam si iuberem eos turbith præparare, ac eo vti, adeo sunt imperiti, vt quatuor mensibus indigerem ad vocabula duntaxat explicanda. Quàm primùm quis aliam de re, quàm scammonea loquitur, est ipsis barbarus, nec in-

telligitur. Eodem modo si quis balneũ alio nomine, quàm balneum appellaret, nescirent quid esset. Eadem est ratio & reliquarum omnium rerum. An nõ hęc est maxima simplicitas? Talibusnè hominibus medicinæ prospectum erit? qui non nouerint sinistri pedis soleam, quũ antea viderint calceos duplicatis soleis, solumque suis inhærent dogmatis? Simplicitas itaque istorum, & adeo stupida cœcaque consuetudo demõstrat, quàm imperitè & ineptè sua tractent negocia, & quæ sit ipsorum intelligentia. Ego itaque ipsis succurram, quò relinquant impostoras suas, ne amplius infirmi perdantur.

Sudoris itaque prouocatio, & lotio in balneis, (si modò aliquid boni infirmis inde proueniat) non alia conditione his morbis adhiberi debẽt, nisi obseruetur, primùm ne sudoris prouocatio fiat prius, quàm sudaturi duos ante dies in calido vaporario absque omni sudorifieri applicatione sese contineant: nec vlterius naturam cogant, quàm huiusmodi calor sponte prębeat. Deinde balneum præpara, quod quidem hac ratione fiet.

commo-

commodissimè, videlicet vt balneū pares ex postrema decoctione aluminis. Quicumque hoc balneo se lauerit, liberatur omnibus ijs morbis, qui chirurgia sanari queunt, nec vlterius quicquã curandum est.

Similiter salsugo ex sale decocta, sufficiens & perfectum est balneum, modò eam ordines ac vsurpes pro more & consuetudine balnei, mordicationemque non cures, quę nihil obest. Si tamen nimiū acre ac pungēs videatur, inungas eas partes, quas non tegit cutis. Hoc balneum sufficit ad recuperandam valetudinem. Si autem hæc balnea tibi defuerint, sic ea præpara.

Recipe decem libras aluminis, salis viginti libras: quibus commixtis infundas acetum destillatū, ac relinquas in quartum vsque diē simul, posteaque coquendo exicca. Coquas in aqua pluuiali, donec inuenias olei substantiam, ac tunc ægrotum illi imponas pro communi consuetudine, nec vtaris vlla alia medicina.

Quanquam multæ sint herbæ ex serpētinis & consolidis, quæ in balneis, olei

quoque ſubſtantiam æqualibus & ſimilibus emittunt virtutibus: tamen quia iſtis medicis non ſunt notæ, eas omitto: nihilominus præclaræ ſunt naturæ & operationis. Idcirco ſi poſſet fieri, vt medici eò deducerentur, quò diligẽter ſtuderent ſanitatem conſeruare & reſtituere, oporteret nouum herbarium conſcribere.

Animaduertendum itaque eſt, lotiones illas, quas diximus, etiã præſtare ea, quæ purgationes & abſtinentia. *Quod* hunc in modum intelliges. *Quicquid* purgando efficere potes, idem quoque hiſce balneis præſtabis: non quòd ventrẽ laxando purgẽt, ſed iſtud auferũt, quod tu ſtudes tollere. Idem de abſtinẽtia ſentiendum. Quæcumque ſoles per abſtinentiã cibi & potus conſumere, his balneis committe ac relinque: ac infirmos inſtrue & guberna ad modum atque rationem horum balneorum, eosque nõ modò lauare, ſed & edere ac bibere pro libitu permittas: ſic eadem omnia cum lætitia ac recreatione perficiuntur, quæ tu cum triſtitia atque dolore per ieiunium conari ſoles. Quare meum conſi-

lium

lium fuerit, si quidē adeo vobis balneis aut sudoribus vti stet sententia, aut alioqui purgationes aut abstinentiam proposueritis, vt istorū loco his à me prędictis vtamini, eo modo, quo tradidimus. Ratio vobis constat, si modò in memoriam reuocetis, quanta alioqui perpetretis mala, & quàm miserum in finem infirmos perducatis: quæ incōmoda omnia prædicto modo euitantur, eoq; plura maioraque præstabitis, lōgeque breuiori tempore, quam altero modo: & habebitis certiorem atque cōstantiorem sanitatem ac restitutionem, cū laude & gloria Dei, quàm alij sua laniena.

DE OBLIGANDI, ABSCINdendi, obstruēdi meatus, & fluxus sistendi, rationibus abrogandis: & ijs, quæ istorum loco sunt substituenda.

Est porrò quoddam genus, & quasi secta medicorū, qui solùm in sistendo fluxus occupati sunt, ac per illud magna & insignia damna, lethalesque

morbos inferunt. Nam vbi medicina diuisa est in peculiares sectas, vt singuli sua probarunt ac secuti sint, ac similes se præstiterint sectatoribus Scoti, Thomę, Alberti, modernis, aut alijs similibus: hinc id tandem effectum est, vt nulla ratione queant sectæ istæ in verum reduci statum, licet hoc quò fieret, sæpe omnes istæ sectæ cõuenerint. (Quas sinite extingui & discuti tanquam puluerem). Hoc autem fieri quum non possit: quia semper superbiunt ac ostendunt fastum suũ, illud saltẽ ipsos rogo, vt has subsequentes medicinæ formulas recipiant loco errorum, & hac arte vtantur.

Omnibus medicis, qui fluxibus sistẽdis incumbunt, consultum velim, vt fluxui suum relinquant cursum, hac tantùm adhibita cautione: Si membrũ valde sit exulceratum, tumidum, ac foraminibus prauis, putridis & immundis præditum, quemadmodum maximè solet in istiusmodi vitijs fieri, vt in eodẽ membro, & loco apto aperiant foramen ad amplitudinem vnius batzionis, aut cuius diameter sit æqualis ferè pollicis latitudini, idque oleo Mercuriali in fistulam

iam redigant vsque ad interiorem concauitatem.

Siquidē post hoc oleum Mercuriale nulla res curat fistulam. Qua facta, incipiatis Serapio siue Sparadrapio, & communi cura cōpellas fluxum in fistulam, applicato aliquo attractiuo emplastro ex gummi & resinis cōfecto, quod ligabis ac resolues, donec tumor omnē fluxum suum transmittat in fistulam, ac quantitatem deprehendas per fistulam effluxisse. Quicquid præter fistulam est, sanabis ac conglutinabis per Mercuriū incarnatiuum. Sic poteris isti fluxui suū relinquere cursum, ac membrum sanū conseruare: nec metuenda sunt ea, quæ solent quotidie occurrere cùm in iunioribus, tum in senioribus, vt sæpissimē in alijs scriptis recensui. Horum itaque sitis memores, & caueatis vobis à colligationibus & sistendis fluxibus.

SECVNDA TRACTATIO.

QVandoquidem hîc in breui tractatione complector valde multos morbos, imprimis considerandū

venit,num fieri possit, in tã breui & an-
gusto spacio,vt ea tradãtur & absoluan-
tur, quæ alioqui adeo multis scriptis ac
libris editis explicantur, vt difficilè nu-
merus ac finis eorũ inueniri queat. Præ-
terea quòd infinita hominum multitu-
do in istis versetur, ista legat,eorumque
fundamentum quærat, quæ complures
certè imperiti medicinæ arbitrantur re-
periri non posse: hoc fieri non deberet,
sed cogitarent potius,leuissima quęque
in istis scriptis nõ succesſura.Est sanè ma
re magnum.& vt vastissimus Oceanus à
nemine inuestigando metiri aut cõpre-
hẽdi potest,ita nec eorum scripta. Quis
adeo credulus aut stupidus est, qui cre-
dat, Deum medicinæ largitorem nobis
huiusmodi mare magnũ dedisse? In quo
mari magno quum tam varij venti,tam
que turbulentæ ac inconstantes tempe-
states oriantur,vt nihil boni inde referre
queas, nec quisquam bona fide potest
asserere, se in hoc ex mari magno o-
mnibus medicorum scriptis,Deum lau-
daturum,honoraturum & gratias actu-
rum.Cęterùm tota ista medicina perin-
de se habet,atque magna nauis marina,
quæ

quæ ſemper periclitatur, ac ſubmergenda videtur.

Ad hæc animaduertendum, nec in lumine naturæ, multo minus in lumine fidei poſſe inueniri, Deum ita velle nobis prouidere. Illam medicinam, quam creauit in vſum hominum, an non magnificentius & melius elocaret, quàm nos hactenus ab Hippocrate habemus? Multo minus Galenum aut Auicennã in ſuum ſubſtituit locũ, quaſi ex iſtis debeamus ſugere Dei beneuolentiã & voluntatem. Videte quàm lubricum lutũ ſit medicinæ fundamentum. Quis adeo ſimplex eſt, qui velit Dei voluntatẽ quærere in Druſiani, Gentilis & aliorum ſimilium ſcriptis? Quis credet, Deum ea, quę ſua beneuolentia largitur, nobis nõ maiori certitudine ac intelligentia mittere, quàm in ſcholis traditur? Quis etiã vnquam inducet in animum, Deum, qui ſumma eſt fidelitas & beneuolẽtia, ſum maque charitas, qui etiam præcepit nobis, vt compleremus charitatem in proximum, imperfectam charitatem nobis mandaſſe in ſeruandis ipſius mandatis? Quicquid enim ipſe iubet eſt perfectũ,

ac adeo firmum, vt sua natura rumpi nequeat. Ista verò scripta omnia sunt fragilia, nihilque perfecti in se continent.

Ipse certè primus fuisset, qui suũ violasset præceptum, si alia nulla foret medicina, quàm ea, quæ libris est tradita, quaue ipsi vtuntur, qui ex libris eam discunt. Iniuria quoq; facta esset primis tẽporibus ante Hippocratem & Auicennam, &c. quòd non antea quoq; extitissent, qui Adamum, si aduersa fortè valetudine laborasset, aut Euã mẽstruo vexatam, talibus malis liberassent. Sic & illi tempori, quod fuit ante Aesculapiũ. Verùm Deus non tam infideliter, atque nos iudicamus, ommia distribuit, nec in illa tempora medicinam distulit: qui medicum ita creauit, vt semper fuerint medici: haud tamen huiusmodi, qui Mare magnum constituerint, quorum originem pauciſſimis accipias.

Audiuerunt ex medicis à Deo factis de viribus herbarum, lapidumque virtutibus, vnde ipsos cœlestem theoricã virtutum atq; morborum habere intellexerunt, quæ ipsorum imaginationi adeo firmiter impressa fuit, vt nihil penitus excideriț.

exciderit. Reliqui verò, qui à Deo non erant creati, illorum sermones & experimenta obseruarũt, ac ex ipsis pro sui ingenij capacitate & imaginatione finxerunt theoricam absq; vlla probata philosophia. Ad istiusmodi scripta se contulerũt Plinius, Rases, & eiusmodi reliqui. Quò autem medicina haberet formam ac rei statum, quotidiana experiẽtia hoc ei palliũ consuit atq; obduxit, vt deniq; *nihil aliud sit, quàm pictura quædã à veris medicis desumpta*, non secus atque imago ab homine viuo.

Si ergo beneuolentia & fidelitas Dei immensa & ineffabilis non sit adeo vili pendenda: facilè hinc deprehenditur, ipsum, medicinæ fundamentum non constituisse tam inconstans & incertum, vt scriptores illud tractant, summa cũ inconstantia, dubio semper in metu constituti: sed potius certissimè colligimus, medicum crescere solùm in Dei voluntate, non in Academijs: Hoc notate.

Quemadmodum Deus ordinauit, vt ignis omnia præsentia cõsumat, ita morbus nihil aliud est, quàm res, quæ spectat ad ignem. Quæ autem ars & theorica

requiritur ad ignē, vt ardeat? an non ipſe proprij laboris autor eſt atq; tranſactor? Sic quoque medicina eſſe debet. Nam fundamentum medicinæ non in eo ſitū eſt, vt nos multa phantaſticè imaginemur, quomodo hoc aut illud fiat & exiſtat: ſed verum medici fundamētum nō aliter eſt poſitum, atq; fabri ferrarij, qui follibus inflat, nec amplius curat, quàm vt ferrum cedat ſuæ voluntati. Itaq; medicina nullum habet aliud fundamentum, quàm prædictum eſt. Quodcumq; verò in ipſa ſtatuitur prēter illud, id ſimile eſt fabro, qui medico igni ſuum conatur ferrum reddere ignitum, aut candelis aptare ad cudendum. Celefacit quidem ferrum, quod cæcus quidem iudicaret ſatis eſſe præparatum ad cudendum, incudi verò admotum fruſtra tunditur, nec quicquam malleis cedit. Tale quoque fundamentum eſt medicinæ iſtius magni maris: Manifeſtiſſimè apparet, ipſos nugas & impoſturas tractare, qui ſuis cōmentarijs, ſtudijs, lectionibus & canonibus conātur ex incē ſo ſtramine faginos carbones efficere, & quoties negociū non ſuccedit, loco ſtraminis

minis fœnum accipiũt. In istis omnibus quũ nihil sit, quo etiã tundendo malleo queat acus præparari: animaduertite, si talis stramineus ignis in aliqua religione describeretur, ingens mare magnum inde oriturum, & tamen non fierent inde carbones fagini. Quapropter obseruate, Deum fabro carbones dedisse ex fago, non ex stramine fabarum. Eodem modo & nos medici cogitabimus, Deũ varias nobis medicinas creasse, quarum vna reliquis omnibus præstat, quemadmodum fagini carbones cunctis alijs. Et quemadmodum ex vario igni cineres fiunt, ita quoque ex varijs herbis: attamen hæc per omnia non sunt similia. Siquidem cineres mortem designant. Si etiam persuasus fueris, omnem ignẽ, qui cineres efficit, esse in quouis negocio aptum & efficacem: faber ferrarius tibi demonstraret errorem. Flamma autem est ignis, qui laborat. Ex his omnib⁹ collige virtutẽ ex igni prodire, & in medicina morbos esse tanquam ferrũ. Ideo carbonib⁹ faginis oportet vti, & nõ pluuerib⁹ ineptis. Vnde cõstat, fieri posse, vt omnes morbi, qui in vno ptochodochio

exiſtunt, breuiter tractẽtur & abſoluantur. Quis enim dicet, Deum nobis multis verbis propoſuiſſe noſtras afflictiones? Nemo: Sed is agit omnia breuiter. quia in cordibus noſtris ipſemet interpres & commentator exiſtit, modò nos verè in textu, hoc eſt, in ipſa radice & fundamento viuamus. Itaque nobis medicinam breuem dedit, non in longo ordine alijſque ſimilibus vt progrediamur. Cuius cauſa eſt hæc. Quomodo ſingula tempora aliter atque aliter occurrant, nunc hoc nunc illo modo, aliud & aliud inferant, ipſe Dominus commẽtatur & explicat. Quis enim poterit verè hîc dicere, veterum regimina nunc eſſe obſeruanda? Cæli tempora, conuerſiones, & elementa demonſtrant errores ipſorũ: imo teſtantur ſequentem diem non eſſe ſimilem ſuo præcedenti, nec aurorã crepuſculo. Ita diſſimiles quoque ſunt morbi, qui nomina ſua licet non mutent, tamen commutant naturam. Recepta, ſiue formulæ veterum ſolis inſeruiũt nominibus: quia cum ipſis nominibus permanent, & non ſe mutant. Non ſunt profecto nomina ſpectanda, ſed vera morborum

borum natura. Optimè quidem noui, si vestro ordine & modo piscer, hoc est, errem, vos iubilando exclamaturos esse, Vbi sunt illius arcana? Vbi est ipsius cõmentator? Sic veritas à vobis contemnitur: dum interim nõ animaduertitis, vos effeciſſe morbos peiores ac incurabiles, non aliter atque sutor, qui tãdem ex integro bouis tergore, ne pueri vnum calceum potuit conficere. Isti præterea successus mali vestris quum sint ex doctrinis, artibus & authoribus orti, sunt ipsis, non mihi dedecori: quia vos me coegistis, ipsorum præscripta & ordines sequi. Ergo secutus sum vestram doctrinam: arbitrabar ipsos & vos me inuenturum veros, me autem erraſſe. Cur latitarem domi, quemadmodum vos, & non peregrinarer? Absit illud malum procul à me, modo aliquid velim in re medica præstare.

Quò autem perueniam ad practicã, sciendũ est in omnibus chirurgicis morbis curandis, duas esse naturas obseruandas, nec præter eas alia solicitè curanda, quid videlicet cholera, quid phlegma, quid sanguis, & quid melancholia sit.

Nam per Deum immortalem, non est verum in istis fundamentum. Tu autem cogita, rem se non aliter habere, ac si haberes hortum, in quo seminaturus esses amaracum: vbi non cogeris scire, quid cholera & quid phlegma sit, verùm commettas terræ semina, & mox crescet herba: eodem modò laborat & medicina. Quod si persuasus fueris, contra calida frigidis esse vtendum, talemque curam prodesse contigerit, nõ aliter illud intelliges, acsi pluuia cadat in agrum, & herbæ postea multùm crescant. Pluuia illic non est vera incrementi causa, sed semẽ. ac vt pluuia iuuat semen in producenda herba, ita in hac quoque facultate, frigida semen medicinæ contra calida iuuãt: semen verò est centrum sanitatis. Contraria ergo contrarijs si opponantur nõ est vera cura. Etiam si enim pluat, & ros cadat, si tamen semen sanitatis non insit, omnis tua ordinatio fit frustra, nõ aliter acsi plueret, aut ros caderet in lignum vel in petram. In semine est illud, quod hîc maximum est. Ergo non sollicitè inquiras, cur hoc aut illud fiat? quæ causa sit, ob quam hæc res illud efficiat?

&

& propter quid hoc atque aliud existat? Talia qui faciunt similes sunt dubitantibus & incertis in fide, quales sunt Ethnici & Tetrici. Multi enim omnia naturæ abdita studēt curiosè inquirere, quasi audituri sint graminum incrementa, inter quos nullus rectè agit. Quia nostrarum virium non est, talia inuestigatione assequi: nec possumus quicquam hîc assequi præter ea, quæ experientia nobis suppeditat: quæ herculè apud prædictos non inueniuntur. Duæ (vt diximus) sunt viæ curandi morbos chirurgicos, quarū altera curātur illi morbi chirurgici, qui occultæ in corpore latitant, altera sanātur exteriores. Horum discrimē tale obseruandum est: Quicquid aer contingit, diuersum est ab eo, quod aer non attingit. Vnde sequitur duplex medicina: altera facilè aerē fert, quæ est medicina morborum chirurgorū, qui extrinseci sunt: altera inseruit morbis chirurgicis, ad quos aer non peruenit. Ideo notate, medicum vlterius non assequi quicquam, præterillud, quòd morbi chirurgici duobus intelligantur modis, quorum alter est, quòd morbi intrinsecè in corpore

materiam ſimilem habeant extrinſecis? Quis autem interiora vnquam vidit? vbi,& per quas inſpexit partes? Nuſquam ſanè vllus homo. Propterea ineptus & inutilis ſermo eſt,quo aſſerunt: Hoc eſt ex liene,hoc eſt ex hepate. Quũ occultarum rerũ adeo ſumus ignari,& opinionum periti, quibus ſolis nos conſolari poſſumus:quid agẽdũ eſt,vt ea, quæ ſub aſpectũ non cadũt,curentur? quî perſpicillum imponemus naſo? aut quomodo furca tractabimus,vt ſtercorentur? *Non* ex doctrina Auicennæ,Galeni Aſiani,Auerrois,&c.ſed clemens eſt Deus, quòd medicinæ illos tribuerit oculos, quibus cernit ea, quæ nos non poſſumus: quæ nos libenter videremus, ea ipſius oculis obijciuntur: quæ nobis peruidenda eſſe arbitramur,ea ipſi adſunt. Hæc ignominia afficiunt nos & noſtros libros,quòd non habeamus eam medicinam, cuius interna ſcientia eſt ex ſeipſa,non ex nobis,ſed conſtituimus aliam medicinam, cuius noticia eſt ex nobis.Iã nè ſatis hęc videtis? Nos itaque non ſanamus infirmos, nec ſcientia eorum: quæ ſpectant ad interiora corporis, medico eſt aſcribenda,

benda, verùm medicinæ Nam nihil præter nænias & nugas garrit princeps iste veterum medicorum, dum choleram & melancholiam tractat. Similis profectò est inspicienti occlusam cistam, ac imaginatione coniectanti inclusas esse vestes: vbi autem aperitur inuenit esse hauenam. Quemadmodum internus est medicus sola medicina esse debet, sic & externus est medicus, qui est sola medicina, quæ nullam habet rationē phlegmatis, nec melancholiæ: sed tanquam arbor parua surgit ex terra, nulla istorum habita ratione, sic illic & medicina absoluit sua. In his duobus modis medici officium est, vt sciat medicinam, quam non percipit suo ex capite, sed ex Cabala, ex qua error cabalisticus ortus est, & garruli isti originem duxerunt, qui Cabalam aliaque similia conscripserūt. Huic fundamento innixi fuerūt Aesculapius & Hippocrates: Machaon quoq; in hoc enutritus est. Quomodo autem reliqui vestri principes crescant, aut in quo sua iecerint fundamenta, ipsimet apud vos perpendite. Extra hāc enim religionem nulla vnquam experiētia fuit, nec scien-

tia rerum occultarũ est habita. Vos verò, ò Plini & Dioscorides, depictæ estis sordes.

Cura igitur (vt prædiximus) & medicina talis est, quæ in morbis chirurgicis hominem intrinsecè intuetur, cuius sex herbas hîc pono, quarũ tres sunt internorum, & tres externorum, quæ nostrã anatomiam obseruant, & curationem præstant. In curando autẽ hæc prẹcepta notate. Quicquid interno chirurgico infectum est morbo, ne extrinsecè suscipiatis curandum: hoc est, nihil extrinsecè sanabitis, nisi intus curatum fuerit. Et omnia quidem externè curam admittunt, nisi ea quæ communicant cum internis. nihil verò sanate extrinsecè, nisi externa. Qua de causa diligenter obseruate hanc progressionem.

Accipite medicinam, quæ spectat ad interiora, ac administrate tanquam cibum & potum, donec ẹger sanetur. Omnis cibus & potus, seu quodcumque ductorium fuerit, transit in nutrimentum infirmi. In nutrimẽto autem illo latitat medicina. Sic in nutrimento fit sanatio, qua gignit carnem & sanitatem. Ergo

fru-

frustra laboratis, qui studetis medicinã in his chirurgicis morbis per sedes vnâ cum stercore eijcere,& medicinam in ipsis morbis à nutrimentis separare: Iste est error. Optarim vos in vera curandi ratione crescere,varijsq; modis perpendere nunc hoc nunc illud.Quamuis verear ne ad hanc rem non magis apti sitis, atque alpina vacca ad scalas ascendendas.

Interiores itaque propositæ medicinæ herbæ sunt tres, Sophia, Serpentina & Persa.Pondera earum sumi debent ex stomachi appetitu,ac ratione sitis naturæ:vt sit æqualitas, quo alterum foueat ac recreet alterum.

Exteriores item tres sunt, Consolida,Mucilago,& Mercurialis. Consolidã applicabis crudam, frigida aqua lotam, ac sines applicatam putrefieri:eodemq; deinde modo renoues, ac in finem perseueres. Consimili quoque ratione administres mucilaginem,itidemque Mercurialem,cuius radices abijcias,alijsque nullis reb⁹ vtaris,nec sis sollicitus. Ages perinde,vt rusticus,qui seminibus in aruum proiectis,discedit, ociosusq; dein-

ceps in vtramque aurem dormit.

TRACTATIO TERTIA.

QVum itaque cibi & potus ratio nihil profit, licet plurimum ipſi tribuatur, & ſex iſtas res naturales & nõ naturales adeo magni faciant medici, vt eas ferè mediam partem totius curationis eſſe ſtatuant: vos animaduertite, ipſos toto (quod dici ſolet) cœlo aberrare, & ſemetipſos prodere, ac manifeſtè declarare, ſe nulla morborum cognitione eſſe præditos: quòd videlicet arbitrentur, imo non ſolùm putent, ſed etiam ſeriò aſſeuerent, in omnibus neceſſariò morbis talem diętam requiri. Vos autem noueritis, eam nequaquam eſſe neceſſariam, & quatuor morbi partes neque diætam, neque regimen alimentorum requirere vel curare: cuiuſmodi tamen iſti in his chirurgicis morbis curandis præſcribunt, quos ratione cibi & potus conantur ſanare, & ad ſex res naturales deducere, &c. quæ omnia vana ſunt, ac fruſtra fiũt. Propterea vos omnes, qui in hoſpitali decumbitis, admoneo

moneo, ne vllo modo, si chirurgicis laboraueritis morbis, persuasi, istos sequamini duces in ordinē & obseruationes sex rerum naturalium. Quin etiam si inspiciant vrinam, & pulsum tactu obseruent, vos tamen ipsis fidem ne habeatis. Nihil enim eorum, qui vobis vtilia & necessaria sunt, cognoscere ex ijs possunt: Ista eò solummodo agunt, vt vos à veritatis lumine abducant in tenebras, ac speciem veritatis obijciāt, quò vos edatis ac bibatis pro ipsorum arbitrio, & sic videantur aliquid præstare, habeantque aliquem ignorantiæ suæ in medicina prætextum.

Cùm itaque morbi chirurgici non curentur per eas res, non opus est quicquam amplius hîc de ijs referre: hoc tamen vnicum necessariò vobis iudicandum restat, quam ob causam nihil prosint. Summum istorum, qui eas res naturales & non naturales probant, argumētum est, ægrum, si quidem comedat & bibat multū augere suos fluxus, & quanto magis eos auxerit, tanto magis quoq; morbum crescere. Quæ cùm ita sint, medico duplicem curam esse instituen-

dam, alteram quidem per abstinentiam, alteram verò per medicinam. Quia naturaliter ac facilè qui vnus etiam auriga intelligit, multum potãdo fluxus gigni, modicũ verò bibere esse vtile & bonum. Ad hæc vobis hoc modo respondeo: Medicinam non ex captu atque iudicio rusticani famuli esse administrandam, sed potius eo modo, quo longè istius captum excedit, videlicet, ea vt propria & innata virtute per se morbos chirurgicos, tam intrinsecè, quàm extrinsecè curet. Hæc itaque si vera existat curãdi ratio, quæ tota est sita in medicina: cur medicus confugeret ad rationem edendi & bibendi, medicina per propriã naturam sanante? Nam talis cura separat superfluum cibum & potum à se & ex sua anatomia: occludit & obstruit ijs aditus omnes impediendi naturam, ipsaque interim suas operationes continuè perficit, nec sinit potum nimium suos malos præstare effectus, sed transmittit eum in vesicam, aliaque loca & secessus ad exitum. Siquidem tam efficax est medicina, vt in sua anatomia nuspiam fluxus accedere permittat: Vos autem

autem posse probare, fluxus vehementer in vobis abundare, vobisque nocere, concedo facilè. Nam & mihi idem euenit, vestro si quando agam modo. Causa in promptu est: Indicio enim id est verã medicinam nõ adesse. Si enim verũ medicinæ fundamẽtum esset præsens, haud illud fieret, sed ab interioribus incipiendo omnia sanaret vsq; ad extremas locustas: Quicquid verò ex cibo & potu abundaret, per suos meatus exiret. Quod vobis in vestra imbecilli medicina non fit: quia non est vera. Si ergo non valet, quomodo potestis curare infirmos subtrahendo potum? Sanatis quidem, at nõ verè, vt sanitas sit firma & constans, eò quòd vera medicina vobis desit: Vnde vno aliquo fortuito hausta tota pellitur ac rumpitur.

In aliquibus tamẽ, quínam cibi & potus sint salubres aut insalubres non negligendum est. Carnes nonnullæ, quas comedimus, sunt similes humanæ carni: vt est porcorum. Qui edendo & bibẽdo si perinde implerentur, atque nos homines, possent in omnes etiam morbos hominum incidere. Cæterùm quia non

comedunt ac bibunt tāquam homines. ſed in iſtis punctis Deus eos ſeparauit, itaque nec incidunt in crapulæ morbos. At nihilominus cœlo ſunt ſubiecti, vnde in peſtē, anthraces, & pleuriſim, aliaque apoſtemata incidunt. Hominibus itaque ſimiles in iſtis quum ſint, debent etiam iſs ea ſolùm de cauſa prohiberi, ſi videlicet porcus is à natura habuerit fluxum, tanquam homo, vnde ne eundē iterum poſſet gignere in homine, abſtinendum eſt ab eius carnibus: alia verò nulla de cauſa debet prohiberi: atque etiam niſi medicus probè nouerit ſuem talem eſſe, vt hominis ſanum & integrū corpus denuo inquinaret. Hoc ſi nō fuerit, ſuilla caro nihil obeſt, etiam corpori infirmo laboranti morbis chirurgicis. Quare ſequitur ordinem & obſeruationem ac potus eò ſolùm ſpectare, vt non modò ſuillæ carnes, verùm & aliæ omnes ea natura accidentibusque præditę ſint erga hominū corpus, quibus illud conſeruent non noceant. Quod ſi cœlū ipſis morbum aliquem imprimat, iſta profectò ſpermatica generatione idem morbus corpori humano coniungitur, ac ci-

ac cibus ille anthracē & peſtem ſequentibus temporibus excitat, quæ altera eſt cauſa iſtorum morborū, vt in libris medicinæ notatur.

Hæc igitur dicta eſt cauſa, ob quam cibus eſt prohibendus, & ex qua cognoſcendū, quiſnam prohiberi debeat. Non certè illud ſit ex librorum præſcripto, verùm intelligentia aſtrorum, qua debes eſſe inſtructus, quò ſolùm caput tuum ſit tibi codex, & adeo ſis doctus, vt omnes mortuos ſcriptores excedas, nec quicquam hîc tibi deſit. Vehementer enim contra naturam eſt, medicum præſcribere rationem victus, ac iubere, Hoc ede, illud bibe, ab eo abſtine, idq́ue varijs modis: qui ignorat Aſtronomiā, ex quo fundamēto hæc obſecro ordinabit? quū principia non intelligat, ex quibus vera ſcientia promanat? Tandem in concluſione & hunc errorem notate, qui apud medicos in vſu eſt præter iam dictum, quem ipſi introducunt. Eſt autem talis: Aliud prohibent, aliud concedunt, non aliter atque ſi homo quercinum lignū loco fagini ponat in ignem, neſciuntq́; quid tractent. Quotieſcumque ignorāt

quid prohibere aut concedere debeant, cõfugiunt ad bilancem in officinã mercatoriam, hoc est, iubent abstinere à cibo & potu: nihil certius eo habent. Quicumque enim nihil bibunt, ijs potus nõ obest. Non animaduertunt, medicinam sic non esse administrandã, sed in eo cõtra medicinam agãt. Cæterùm qui rem non intelligit, in ea tractanda animi sui captum sequi cogitur. Etiam si verò intelligant se non rectè facere, tamen multa ipsis sunt simulanda ac dissimulanda coram hominibus, vt fucum facere, ac elegantiorem quãdam speciem rei obtendere possint. Verus sit regiminis ordo, & bibant omnes quantum libet, absque corporis & regiminis detrimento: absque vera medicina, quocumque modo fiat, damnum inferet.

Deinde aliud præceptum aeris traditis, quem iudicatis infirmo salubrẽ aut insalubrem: attamen hîc volentes cogimini fateri aerem nunquam sanasse hominem. Quod si verũ est, non debet medicus ipsum prohibere aut concedere. In chirurgicis morbis peruersa est consuetudo & præceptio excludendi aerẽ,

quòd

quòd naturale sit aerem expellere, ac recentem attrahere. Liber igitur in quatuor plagis aer esse debet, ne aer egressus iterum ingrediatur, nec commiscea-tur propter vaporarū anguſtiā, qua iterum coactus ingreditur. Venenum exit, maius regreditur, dum ad interiora repellitur. Ex his sequuntur varij ac multi pestilentiales alijque morbi, qui domū aliquam si inuadant, eam omnibus spoliant hominibus. Non certè morbus tol leret omnes homines, qui domum inco lunt, nisi aer incluſus esset. Hinc colligite, maximo veneno vos ægros inficere, dum includitis ipsos ac venenum simul cum ipsis. Si influentia ipsos, quos soletis in ptochodochiorū vel similium locorum vaporarijs coniungere, lædat, omnes ordine moriutur, dum influentia per reuolutionem suas operationes absoluit. Illud recténe sit curare, an contra rium, vos ipsi iudicate. Veram si habere tis medicinam curādi chirurgicos morbos, nō includeretis aerem. Sin verò natura ita sit affecta, & sic iuuetur, vt nolit à noſtro aere cingi, aut contineri intra cutem, decet quoq; eam sic ordina-

re,vt aer & os simul liberũ habeant cœ-
lum,& reliquum corporis tegatur. Hoc
modo igitur agendum est aere,licet plu
rimi vestrum inhæreant aeris salubrita-
ti ac insalubritati, quò habeatis aerem
bonum. Additis quoque aerem aliquan
do magis infectum esse veneno, quàm
aliquãdo,quod manifestissimè in perio-
dicis anni & prognosticis morbis signi-
ficatur & probatur:quamuis illa proba-
tio nihil veri habeat. Quia Astronomus
hîc ludit vos,ac vestram,optimi doctissi-
miq́ue doctores,sapiẽtiam ridet. Quod
si autem aer vnquam causa talis foret,
hoc animaduertite:morbus si ex aere gi
gnatur,quod vestrum est fundamẽtum,
sanitas quoq; orietur ex aere, nec quic-
quàm agetur absque isto aere.Chirurgi-
ca verò ægritudo nõ ducit originem ex
aere.Quare patefit hîc error. quia aer in
morbis nihil agit,nec cõponit,nec fran-
git. Quicquid venenosi ad interiora &
abdita ingreditur,non efficit chirurgicũ
morbum,sed alium gignit.

Alius adhuc error existit,qui priori,li-
cet satis magno & crasso, tamen etiam
par est. Quod si cura & sanitatis restitu-
tio

tio alligata esset necessariò & cohæreret aeri, oportet vos sæpè per integrum annum, aliquãdo etiam duos vnà cum infirmo expectare, donec bonus aer veniret, quòd cœlum nõ possit ipsi quotidie bonũ tribuere. Interea ægroti morerentur. Quin etiamsi bonus aer per influentiam esset, vos tamen nõ estis tales astronomi, vt intelligeretis, nec agnosceretis, vtrùm bonus esset necnè, quid essetis acturi? Solito more. Nihil sanè boni loquimini de re, cuius sonus quidem est magnus, sed verus eius sonitus est inscitia.

Similiter inhęretis somnis, vigilijs, inanitioni & repletioni, motui & quieti, lætitię & tristitię, &c. Quid annectitis morbis chirurgicis adeo inutiles res? Quæ morbis dum nihil trahunt nec adimũt, vos in re medica vestram proditis ignorantiam. An non consolida infirmum sanat, siue rideat, siue lachrimetur? Siquidem nec risus, nec fletus morbos curat, nec infert, nec etiam morbi locũ ostendit. Digredemini ac prætextum quęritis, dum dicitis, Repletus est melancholia, quæ impedit omnes bonas medicinas.

Talia sunt impostorum verba. Eodẽmo do negociũ se habet cum motu & quiete. Putasnè ipsum sibi non concessurum requiem? nec propterea posse curari? Quid vobis in mentem venit, quòd talia tã magni faciatis? Decimas tribuitis ex fœniculo & sylvestri cumino, quę autem sunt necessaria obliuioni tradidistis: rusticorum vt habet prouerbiũ, posteriora & obscœna digitis fricatis, paruis & vilibus immersi, maiora non intelligitis. Si hominibus magna ostẽtatis ac fumos venditis, quò æstiment vos aliquid præstitisse, ac labores & molestias suscepisse, quamnis inutiliter: artis profectò parum aut nihil adhibuistis, quod ipsa res declarat. Nam ęgrotos ita perditis, vt postea bonam valetudinem non recuperent. His nunc concluſum volo, ordinem ac regimen in morbis chirurgicis non debere adhiberi, ac paucis vt absoluam: Infirmo concedetur ista instituere pro sua prudentia & experientia, quæ ipsum docet quid vitare debeat, & quid non. Deus mihi petenti fœlicem si concedat succeſſum, de regimine sex naturalium rerum per causas pleniſſimè

quate-

quatenus cognitu neceſſariæ ac vtiles ſint, explicabo. Hoc autem loco morbos ptochodochicos ſolùm indicaui, vt infirmi ſint ſui doctores. Qui decumbunt morbis chirurgicis, nec doctori, nec regimini ſubiecti ſunt. Quia doctores ignorant, vtrùm vera loquantur, an falſa.

TRACTATIO QVARTA.

SAepè quoque accidit (veluti non ſolùm hîc, verùm & multis alijs locis indicamus) vt ex morbis morbi oriãtur, qui nõ fierent, niſi ægritudines, quæ ipſorum ſunt cauſæ, præcederent. Quare hoc loco decreui (quòd iſtiuſmodi morbi non eadem, qua alij, medicina curentur) modo & progreſſione peculiari ipſorum curationem tractare. Iſti morbi quum naturalibus ſimiles eſſe videãtur, & reuera tamen ſimiles non ſint, facilè medicis contingit, vt eadem in iſtis curandis medicina vtantur, quæ ad naturales, quarum ſpeciẽ referunt, ſpectat, quia ſunt naturæ monſtra. Quemadmodum enim natura habet monſtra imaginis &

ſpeciei, ita quoque mõſtra habet formæ ac naturæ. Sic gibbus monſtrum eſt naturæ, & fatuus eſt monſtrum naturæ: alter in imagine, alter in occultis. Quòd ſi ergo morbi, qui ſolent appellari monſtra, naſcantur, obſeruate ex tali fundamẽto veram morborum eſſe originem cognoſcẽdam, quod veri & primi morbi alios in corpore tãquam ſuos fructus gignant, qui deberent tranſire in naturales imagines, decliant autem in mõſtra: non aliter atq; virtus naturalis, quæ carnes gignit, quoties aberrat & à ſua diſcedit anatomia, creſcunt fungi, quia ea de cauſa ſimiles ſunt ipſis materijs, ex quibus creuerunt. Quoniam illic eſt monſtrum, quod ex parte corpori ſimile eſt naturali, vnde prouenit.

Cæterùm hoc loco indicare volo, talia monſtra, morbosque contra naturæ ordinem, naſci nimirũ duobus modis: naturaliter per proprium errorẽ, & contra naturam errando: de quorum poſtremis hîc ſcribam. Originem hi ducunt ex errore & ignorantia medicinæ, quæ hominum temeritate eiuſmodi efficit, veraque cauſa iſtorum exiſtit. Quapropter

propteter etiam notate morbos contra naturam ortos & in sequētibus descriptos, qui oriuntur ex medicina & alijs morbis: De reliquis verò tractatur alio loco.

Hac ex causa fiunt verrucæ, nævi, mori, caro luxurians & superflua, emphytō, curua & distorta membra, exulceratio carnis, tumor crurium, aliaque similia, atque etiam multa, quæ nondum innotuerunt. Nam ex adeo inepta medicina, qua doctores, & magister, cum alijs vagantibus sæpe vtuntur, nō mirum foret, longè plures gigni morbos: attamē quoniam venenosa sua medicina infirmos ita inficiunt, vt pereant, non possunt omnes morbi ad finem suum peruenire: alioqui longè plures monstruosi reperirentur morbi, quàm hactenus inuenti sint.

Quum itaque alia morborum monstra alias requirāt medicinas, præter eas de quibus diximus: hîc discite vos non debere ordinē medicinæ obseruare, sed alias vias ingredi artesque sequi: hoc est, vbi morbos sustuleritis, ac reliqua vobis sit huiusmodi exercitatio, vt ordinem

obseruetis. Nullus enim medicorum de his morbis scripsit, quòd eos semper ignorarint: aut si aliquam fortè similitudinem talis morbi attigerint, medicinæ tamen imperiti & ignari fuerunt: id est, artes descripserunt, quas nunquam probarunt. Et vos eas probatas esse an nè æstimabitis? easque vestrum ponere fundamentum placebit, quibus ipsi innitẽtes sunt submersi?

Noua ergo medicina quũ hîc requiratur, & scriptoribus priscis nulla fides sit habenda, nõ mihi vitio vertetis, quòd vos nihili faciam, ac inutiles æstimẽ, qui meliora non vultis discere nec exercere, quàm hactenus feciſtis. Theoricam & rationes hoc loco omitto, quod ea in altera parte Ptochodochij tradantur. Quæ verò vtilia sunt in practica Chirurgiæ vobis propono spectanda, & vobis si quæ aliter occurrant in exercẽdo, quàm mihi, experientia vt ad veram curãdi rationem illa referatis. Ne confidatis vulgi rumoribus ac famæ de vobis sparsæ, quasi vestra intelligentia vestrũque officium istis rectè sint excusata. Semper autem necessariò debetis discere. Nullus enim

nim magiſter nec doctor medicinæ exiſtit, qui nõ quotidiana exercitatione ſit promptior & expeditior. Sunt aliquot hîc cautelæ, quæ vobis proponam, & experientiæ veriq́ue modi exercendi, quæ & notabitis & in vſum deducetis, quò peritè tales morbos poſſitis tractare, ac ſanare, peritiq́ue ſitis medici, non quidẽ in vno aliquo curando morbo, ſed & in aliijs omnibus. Quia medicus non conſiſtit in vno. Quod ſi vnum duntaxat nouerit curare, incertiſſimus eſt, & miniſter fortunæ, non medicus.

CAVTELAE ET MODI EXercendi praxim in morbis hoſpitalitijs.

SVnt hîc cautelæ aliquot neceſſariò obſeruandæ, de quibus tamẽ hoc loco non conuenit multa ſcribere, eò quòd medici, quibus hoſpitalia cõmittuntur, atque etiam alij qui morbos ſuſcipiunt curandos, non tãta experientia, nec intelligentia ſint præditi, quanta ad has intelligendas requiritur. Aegrotis autem vt ſatis fiat, & multis inanib⁹

verbis ne ſuſpendantur ac obtũdantur, ſciendum eſt, in ſequenti ordine curandi, omnes cautiones, ſolicitudines, & metus ita accuratè obſeruata eſſe, vt is omnino huiuſmodi infirmis communicari debeat: in quo profectò longè plus efficaciæ & virtutis exiſtit, quàm in tota iſtorum arte. Ordo autem & modus eſt parui ſumptus, facilis & ſimplex: præparatio & adminiſtatio eſt tanquam potionis vulnerum. Vnus quidem eſt ordo, qui in tres modos diuiditur, *qui nihil aliud docet*, quàm morbum *triplicem*. Medicina igitur morborum duntaxat triplicem quũ indicet, plures hîc non cogimur obſeruare. Debet autem quiſque hîc cauſas ſcire, ob quas medicina ſolùm tria morborum genera efficiat. Ego illas non doceo, quòd hoc loco decreuerim potius practicam tradere, quàm morborum cauſas. Ne tamen eæ omittantur & ignorentur, libellum Acorinum conſcripſi, in quo cauſæ iſtiuſmodi copiosè ſunt explicatæ, nõ ſolùm huius ordinis, verùm & de alijs ſimplicibus plura incepta ſunt. Cauſis itaque nunc omiſſis, neceſſariò diſcenda ſunt trium iſto-

istorum generum signa, quibus hîc vos medicos admonitos velim, vt propriũ in iudicandis ægrotis iudicium deponatis,& apprehendatis vobis hæc signa.

I Omnia vitia calida vrentia & rubore cincta,cum venarum tumore,in quacũque corporis parte fuerint, vnius sunt medicinæ.

II Quæcumque vrunt ac dolent, nec venarum tumorem coniunctum habent,nec rubore cincta sunt,vnius quoque generis sunt,quod nobis secundum appellatur.

III Quęcumque exulcerata fluxus,&c. habent, sunt quoque omnia vnius generis.

Iuxta hæc tria iudicate & administrate medicinam.

Ad primum genus curandum accipite Saniculam: Ad secundum centaurcam: ad tertium verò Pyrulam Syluanam.Harum trium vnus & idem est administrationis ordo:qui talis est, qualis esse solet in potionibus vulnerum præparandis hoc modo:

Recipe saniculæ ʒ vij.ss.coquas in quinque mensuris,hoc est,circiter lib.xv. bo-

ni vini, donec quinta pars absumatur, coquendo. Ex hoc vino des tanquã vulnerato ad bibendum manè & vesperi: obserues quotidianas operationes & virtutes. Sũt autem virtutes hæ tibi notandæ: Herbæ illæ vulnerariæ ab internis incipiunt corpus sanare, ac inde progrediuntur ad exteriora: interiores fluxus expellunt, curant & expurgant. Nam in ipsis inest virtus, quam hactenus omnes ignorarunt medici.

Curationem internã sic progredientem ad exteriora iuuabis extrinsecè: hoc est, eodẽ vino partes dolẽtes laua, prout quotidiana experientia requirit & docet, parũ videlicet aut multũ medicinæ adhibẽdo. Sic & extrinsecè adhibita medicina suo ita officio fungitur, vt omnia interiora & exteriora simul rectè sanent.

Præterea consuetũ ac vtile est, earundem herbarum pulueres accipere, ac partibus malè affectis inspergere. Hoc modo sufficientem habebis medicinam in sanandis omnibus morbis, qui vngendo, fumigando, lauando, & vsu guaiaci, &c. vnquam curantur. Ne autem tędio afficiamini, nihil amplius de istis scribã, solùm

solùm vos nũc admonitos velim, vt hæc vobis sint cordi. Operæprecium quoq; foret, autumni tempore, illis herbis impositis musto, vinum cardonium cõficere, tanquam absynthite, aut saluiæ, quod in vtendo commodius est cocto.

Quod si mixta occurrerint genera, & ignoraueris cuiusnam sit generis vitiũ, vtêris hac compositione, sicut verba & ordo indicant, videlicet,

Recipe centaureæ,
Pyrolæ ana m.ij.
hinniculæ longioris ʒ.iij.

Coquantur vt suprà in quinque vini mẽsuris, & sequere ordinem modo taditũ.

Hiscæ alias herbas si addendas putaueris, vt ægrimoniam, consolidam saracenicam, aliasque similes, cures vt tres priores reliquis in pondere quadruplo præualeãt. Et illud nota, omnes herbas, quæ vulneribus prosunt, hîc vtiles fore, & istarum omnium Germanicum cyclamen præstantissimam esse.

Sunt etiã aliqua prẽclara per aquas destillatas inuenta, vt herbarum, lignorum, tartari, & multorum quoque mineralium, quæ mirabiles virtutes in ta-

libus morbis curandis habent. Ista omnia temporis successu patefient, ac experientia veræ artis in lucem prorumpēt. Hæc scripta memoriæ mandate propter infirmos: perpendite magnum iudiciū, illud, quod in his habetur: Ne quēquam perdas: naturam ne offendas: res meliores efficias: nullam verò lædas. Quàm fœlix est medicus, qui nihil in peius conuertit, & admonitiones suscipit. Cauete ne decipiant vos inordinatę, doctrina & experientia carentes, progressiones & præceptiones, quas peruersi & prorsus imperiti descripserunt, vt Landfrancus, Guido, Bartabalia, Rogerius, Theodoricus, &c. ac multis variisque modis fallax Vgonis practica, aliique complures, qui Chirurgiā scripserūt: qui magno iudicio sunt legendi, vt & Auicēnæ ac Galeni libri, ex quibus maximi errores nati sunt.

Sint vobis hîc semper exēplo infirmi mala cura perditi: ratiocinando ipsi colligite, scriptorū fundamentū & experiētiam non esse vera & bona, quū dunta-xat interitū efficiāt. Hæc mea scripta ægrotantiū iudicio cōmitto, quorū testimonium de meis lucubrationibus expectabo. *Finis.* AVREO-

AVREOLI THEOPHRASTI PARACELSI VIRI DOCTISSIMI EXPERTISSIMIQVE vtriusque medicinæ doctoris, de Balneis liber vnus. In quo continentur sex egregiæ tractationes de Thermis, quæ tam diuitibus, quàm pauperibus vtiles ac necessariæ sunt, quibus traditur.

Vnde hæ caleant, ac aliæ aquæ frigeant.
Vnde virtutes efficaces sortiantur:
Ipsas ex globo terrestri crescere, tanquam herbas & arbores suo ex semine:
Quot modis homines ipsis vti queant:
Quæ herbæ singulis conueniant thermis:
Quos in morbos singulæ agant.
A nemine vnquam tanta diligentia, tam veris ex causis, aut adeo vtiles descriptæ. Nam hìc vera ars hydromantica describitur.

Caput I.

ANte omnia hîc causas thermarum traditurus, dico primam causam esse separationem. Quòd autem omnia verò ex fundamento dedu-

cantur, primò sciendum, quid separatio. Separatio autē est operatio, quæ disiungit duas coniunctas virtutes, & vtramq; in suam propriam deducit potentiam: non aliter acsi lignum findatur per medium: nisi quòd exemplum hoc sit substantiæ, non virtutis. Attamen vt lignum docet in substantia fieri separationem partium: ita hîc intelligēdum est de virtutib⁹. Res hîc separatione distinctę sunt frigus & calor: quia calor & frigus, singula transiuerunt suas in virtutes. In principio enim istarum rerum fuit temperamentum istarum. Et quemadmodum omne temperamentum necessariò constat ex mixtura duorum contrariorum, ita & hîc ea intelligimus, quæ nunc tractantur: quæ tali similitudine fiunt manifestiora: Aqua calida & frigida si confundantur, compositum dicitur tēperamentū: Separatio autē est distinctio rursum calidi à frigido, & frigidi à calido. Quòd verò calor & frigus artificiosa cōmutatione excitata reperiantur, quæ redeunt sponte in pristinas virtutes, nō est causa contradicendi huisce nostris. Nam separatio, de qua hîc loquor & tracto,

est

est firmarum & constantium virtutum, quæ ex ipsa natiuitate seu ortu insitæ sunt, & nõ ex commutatione originem sumunt.

Caput II.

RAtiones autem hæc intelligẽdi hoc modo accipi velim: non esse æquale pondus in omnibus thermis, veluti exemplum præcedens indicat, sed alias thermas excedere alias vno gradu caloris aut frigoris, quod etiam fit in earundem complurium quantitate. Nec etiam separationẽ caloris à frigore, aut frigoris à calore adeo fieri accuratè contendo, quin vtrinque se inuicem nexu quodam complectantur, qui non admittit, vt calor aut frigus summo sit in gradu, quem à natura habet. Hanc igitur mixturam in principio rerũ fuisse quũ nemo possit negare: multo minus istorum duorum separationem: quę cùm ex causis prædictis, tum sequentibus exemplis demonstrantur. Quia in principio, ante separationem, dies & nox vna res: Sol & Luna, vna res: Aestas & hyems, vna

res: metalla omnia in vno fuerunt corpore: fructus omnes in vno semine: sic & omnes generationes in vno. Ex quibus consequitur, si dies & nox potētia solùm fuerint, donec eorum fieret separatio: ęstas item & hyems in vna temperie vsq; ad separationem caloris & frigoris: nec nō Sol & Luna vsque ad separationem, qua distincta sunt, hec in albū, ille in rubeum, vnum fuerint luminare: etiā eadem potentia & forma calidas aquas & frigidas fuisse mixtas, ac deinde modò dicta virtute separatas. Quid enim temperatum existit, quod non sit calidum & frigidum? Quapropter istiusmodi aquæ calidæ & frigidæ vnà cum Sole & Luna, die ac noctè, æstate & hyeme, perpetuò absque omni interitu permanebunt. Et vt luminaria, æstas & hyems, &c. necessariò sunt distincta: ita quoque nō minus necessariò aqua frigida à calida, & calida à frigida separata est, & vnaquæq; suū in ordinem redacta, veluti & aliæ res omnes in ordinem distributæ sunt.

Ca-

Caput III.

EX his colligitur nullas res, quandiu in temperamento, hoc est, in corpore mixto & compositio existunt, ante separationem, suas vires posse habere. Hac de causa nunc Luna suas vires separatas habet, & Sol suas: Sic quoque æstas & hyems, dies & noctes, singula suas proprias possident. Talis ordinis separatio causa est, qua debebant singula ad suas vires & facultates peruenire. Ex istiusmodi ordine non solùm ea, quę nũc tractamus, sed & omnes aliæ res adeptę sunt suas vires. Vnde sequitur exemplũ similitudinis. Quemadmodum ordo tributus est fructibus, qui omnes in vno semine fuerunt, & nunc sunt separati: ita hîc quoque thermæ, & frigidæ aquæ se habent. Sicut enim nunc poma aliaque ex tẽperatura seperata crescunt: sic quoque non solùm possibile, verumetiam æquum & veritati consentaneum est, tã feruentes existere aquas, quàm frigidas. Si frigida aqua esse possit, cur non & calida? Necessariò si sit frigida, cur non & calida? veluti hyems absque æstate, nox absque die nequit esse: ita etiam frigida

aqua siue calida non potest. Quod si fieri possit, vt res viliores, quæ minus sunt necessariæ, minoreḿque fructum adferunt, crescant: cur non & magis necessariæ esse possint? Quare tales aquæ calidæ debent comparatione atque connexione cum frigidis, & omnibus crescentibus, iudicari & æstimari.

Caput IIII.

QVod si hoc loco meæ philosophiæ resistere ac cõtradicere volueritis, arbitrantes me nimium theologiæ addictum, discedere autem à philosophia: considerate adhuc aliud fundamentũ, quod videbitur vobis fortasse magis philosophiæ cognatum & consentaneum. Id autem est de vera separatione puri & impuri, virtutis & vitĩ, quò vtilia ab inutilibus distinguãtur, & contraria non sint coniuncta: imo medica à non medicis disiungãtur, tanquã separatio ambræ ab assa fætida, separatio sacchari à sale, separatio mellis ab amariſſa,

mariſſa,dulcis ab amaro:quę omnia cõſtiterunt aliquando in corpore vno,nũc autem ſeparatione in ordinem diſpoſita ſunt.Hanc itaque philoſophiã concedere mihi cogimini, aquam nimirum frigidam & calidam in vno corpore cõſtitiſſe.Si autem non volueritis concedere calidi à frigido ſeparationem,neceſſariò cõcedetis ſeparationem virtutis,potentiæ, medicinæ,contrariꝝ alterius repugnantiæ & impedimenti, item detrimenti,quo ſeſe mutuo afficiunt,ratione veneni ſui,&c. Vnde cauſa prodiit, qua non minus neceſſarium eſt ſeparare aquas,atque Solem & Lunam. Nouiſtis ipſi in aquis vulgaribus non eſſe vires, ſed in thermis.Si vis thermarum manſiſſet in frigidis aquis, perpendite quàm malas ac inſalubres aquas oportuiſſet nos bibere ac ſumere cum cibis, nempe aquas aluminis,ſalis & ſulphuris &c. Separatio itaque talis facta eſt,vt nos quotidie biberemus abſq; veneni infectione,& ſalubres aquæ eſſent iis,qui indigerent,rectè ſeparatæ. Qua de cauſa frigida aqua permanſit abſque violento & potenti acrore & ardore: nam ea peco-

ribus & hominibus, herbis & arboribus in hoc ſtatu optimè & vtiliſſimè conſtituta eſt. Quare hæc ſuo modo diſpoſita eſt & ordinata, calida verò ſuo modo, quo vtraque conſtantiſſimè & firmiſſimè permaneat.

Caput V.

QVòd ſi verò ſophiſtæ philoſopiæ his nollent, aut non poſſent eſſe contenti, ſed ſuo more atque cõſuetudine cuperent plura ſcire, prædictas cauſas nimis leues eſſe iudicantes: hoc notate atque memoriæ mandate: In ſingulis elementis, terra, aqua, aere & igni, vbique calidum & frigidum eſſe diſtincta. In terra cernitis vt pyrula à ſolatro ſit ſeparata, vt mandragora à mace, euphorbium à camphora, & eiuſdē generis alia infinita. In aquis quoque his duabus virtutibus diſtincta ſunt, aurum & plumbum, coralli & carabe, aliaque ſimilia. Eodem modo in firmamēto Sol à Luna, Sol à Saturno. Perpendite, quàm le paterent ea, ſi quis accuratè ſingula proponeret, Ex quibus intelligite, quàm

calidus

calidus est Sol, tam frigidum esse Saturnum, quæ nihilominus ex vno proueniunt. Ad hæc consideratæ quantum discriminis sit sicci & humidi, quàm sit humida aqua, & quàm siccus lapis, & quàm varię sint separationes in alijs quoque rebus. Eodem modo cogitate calidas & frigidas aquas suas quoque rationes & causas habere. Similiter quoque durum & molle, candidum & nigrum, aliaque plurima eiusdem generis, quæ possunt exemplis proponi, causas thermarum declarāt. Talem ergo naturam & virtutem ascribite separationi factæ ex temperato corpore, veluti iudicauimus & demostrauimus.

SECVNDA PRAESTANTISsima Tractatio Doctoris Theophrasti de Thermis.

Secundæ tractationis. Caput I

QVamuis consequens illius, cuius suprà mentio facta est sufficientibus rationibus obtinere & probare queam, videlicet alijs vijs, præter

dictas, posse calidas aquas oriri ex frigidis transmutatas, hac tamen cautione, vt quæ hactenus tradidimus, dicta sint de thermis fixis & perpetuò fluentibus: tamen agemus nũc & de ijs, quæ aliquo fiunt medio, idque hac via. Manifestissimè constat, quamuis calcem efficere aquam, quæ ipsi infunditur, calidam. Potest autem natura per adusta mineralia calcem facere: vnde & aquę fluentes per calcem terræ, quam nos non cernimus, calorem concipiunt. Nemo philosopho rum hanc mirabitur calcem: Siquidem mirabilia naturæ opera adeo sunt magna & præclara in montibus, atque vspiam in extremitate terræ. Vbicunque enim multa mineralia sunt ex cachymijs, marchasitis, talcho, amiantho, &c. non possunt dissolui propria natura & virtute absque calce. Quid ergo obstaret, quo minus aquæ fluentes per eam, participes quoque eius fierent? Nam vbi tales calces & mineralia iacent, si aquarum occultus fluxus tendens sursum in lucem necessariò per ipsorum regiones seu loca flueret, mineralibus eas oportet misceri, eorundemq; calores & naturam

turam induere, ac suprà terrã proferre, retẽto adhuc calore, quem in viscеribus terræ acceperũt. Quamuis sæpe eiusmodi cataracta calefacta adeo procul fluit, vt facilè refrigeretur, aut circiter mediã caloris partem remittat, pro interuallo & loci natura: Vnde frequenter contingit, aquas non tam calidas scaturire atque nascantur. Aliquando in causa est, quòd calx sit nimis exigua, vel nimis imbecillis: ob quam etiam thermæ aliæ aliis sunt calidiores. Thermæ attrahunt sibi naturam calcis, aliquando magnetis, aliquando asphalti, aliquãdo carabis nigri, aliquando sulphuris, per se adusti, cuiuscumque sit generis. Hac ergo ratione virtus accidentalis inhæret isti aquæ.

Caput II.

PAri propemodum modo & aliæ aliquot thermæ oriuntur non ex prædictis causis, sed aliis viribus: quemadmodum id videtis in montibus per se ardentibus, & illis, qui constant carbonibus, qui omnes sunt naturæ Aethnæ montis, præeminentes, & ardentes: quo-

rum corpus quãuis sit terrã ac lapides, tamen nulla pluuia, nec vlla aqua extingui possunt. Quemadmodum itaque suprà terram huiusmodi fiunt miracula: ita quoque in ipsa terra non minus flagrant sua natura. Externa enim non sortiuntur suam naturam extrinsecè, verùm ex cẽtro terræ, hoc est medio, rimã seu venam sequendo, donec in lucẽ perueniant, pro mineralium ordine & natura, ac beneficio aeris, qui per poros angustosque meatus terræ penetrat, ardẽtem virtutem retinent. Per huiusmodi ignem, eiusuè regionem aquæ cataractæ vna vel plures si transeant, perinde feruent, ac si cacabo calidissimo continerẽtur, cùm huiusmodi ignis nulla aqua possit extingui. Has itaque rationes demonstrationesque & philosophiæ consentaneas, & vobis vtiles esse ducite: & obseruate naturam aquarũ, quæ ex carbonibus alijsque similibus concipitur, & quomodo ex Aethna per consuetos canales atque meatus profluant, donec ad superficiem terræ perueniant. Sæpe etiam in tales cataractas influunt frigidæ aquæ, quæ refrigerant eas, antequã

è terra

è terra scaturiunt. Multæ aquæ calidæ fluunt in mare, & alias aquas fluentes, vbi nec agnoscuntur, nec ipsarum signa apparent: aliquando tamen vaporis specie, aut simili quodam signo notantur. Vbicumque frigidæ aquæ influũt in calidas, etiam si in calido permaneant loco, tamen virtutes ac vires imminuũt, non aliter acsi calor discedat. Fontes sæpe scaturiunt in montium summitatibus, & vallibus, vbi nulla nix, nec vllum gelu esse potest, ob causas iam dictas.

Caput III.

MVltæ ergo viæ & causæ sunt thermarum. Aliæ enim oriuntur ex re solutis mineralibus, quorum cõpositione & mixtione calor nascitur. Cuius exemplum videmus in aquis resoluentibus & separantibus metalla, quas aquas fortes & aquas regis vulgo appellitant, quæ frigidæ cùm sint, simulatque confunduntur, incalescunt, & non sine magno feruore ebulliunt. Cuius operationis causæ sunt contrariorum cõmixtiones. Certissimò nobis etiam constat,

vitrioli ſpiritum, qui actu eſt frigidus, infuſum in frigidam aquam, efficere eam feruentem. Hęc ſi poſſint fieri in externis, credite in elementis quoque multa iſtiuſmodi poſſe fieri: quia ex ipſis prouenit prima materia, cui talis virtus & potentia ineſt, non ſolùm in vitriolo, verùm & in omnibus reliquis. Hinc colligite, nō ſecus atque ſpiritus vitrioli ſunt ſalſi ab alijs ſalibus, ſic & alias res minerales coniunctione poſſe fieri ſalſas, ac influentes quotidiè aquas tingere *ſuo* calore & virtute. Præter cauſas *prædictas*, eſt & hæc complurium thermarū: Multa mineralia aere incenſa calefaciūt aquas ſuis in regionibus exiſtentes, quorum primas partes obtinent ſalia nitri, & alia ex metallorum liquoribus: quibus non minus in externis fieri poſſunt tales operationes calefaciendi aquas, abſque lignis & igni. Nam ſua natura, ſimulatque attingunt aliquod contrariū, feruent. Quemadmodum ergo trium elementorum potētia calidæ aquæ poſſunt effici, ita quoque per ignis elementi influentiam idem certiſſimè & procul dubio fieri poteſt. Huiuſmodi thermarum

rum natura est, vt certis anni temporibus tantùm fluāt. Nam hæ operationes tincturarum statis temporibus digerendo absoluūtur, & ad eadē quoque tempora permanent. Vnde sequitur, tempore elapso, & thermas euanuisse: & redeūte tempore isto, thermas quoque reuerti. Sæpè etiam thermas refrigerat tinctura, quæ ex cataracta frigida trāsiuit: Quade causa frigidę fluunt aquæ, donec redeat prædicta digestio.

Caput IIII.

COmmunem hinc notate regulam: Aquas thermarum pluriū esse generum magisque varias, quàm nos experiētia assequi valeamus. Hinc enim euenit, maria & alias aquas nōnullas gelu non constringi: aut si fortè maximo rigore fuerint induratæ, cito tamen resolui. Nam talium aquarū calores si nō obstarēt, Saturnus & Boreas rigore constrigerēt omnes aquas, quas totº globus continet: Sol & æstas non essent resoluendo, tantùm gelu, nisi is calor inesset aquis. Hæc est quoque causa, cur Alpes

alijque mõtes perpetuis niuibus tegantur, quia calidæ aquæ eousque non ascendunt, aut si quid ex ijs ascẽdat, refrigeratur antequam in summum montis iugum perueniat: deinde per petras solent cataractæ scandere. Hæc quum ita sint, profectò æstas & Sol non sufficiunt per se ad soluendum niuem, vbi cataractæ aquę calidę non subsunt, auxiliumque in soluendo præstant. Siquidem sursum ex terra oportet calorem ascendere, qui Solem iuuet in frigore vincendo. Obseruate igitur, calidas aquas in terræ visceribus esse, sicut arbores in eius superficie: & quemadmodum arbor ex semine in altum excrescit aerem: sic quoque in centro terræ semen prodit, vnde nascuntur cataractæ: quę se in multos ramos diuidunt donec emergant in ambitum terræ. Quicquid enim in terra, vel suprà eam existit, versus cœlũ tendit. Sic illa arbor magna suis ramis vi penetrat ipsam terram, ac toti globo per vniuersas regiones calorẽ excitat. Quocumque autẽ tales calores non possunt peruenire, quòd cataractæ desint, ibi nõ fit æstas. Frequenter etiam euenit, talũ

cata-

cataractarum partes abscindi, tanquam ramum arboris, quod fit terræmotu, aut obstructione cataractarum.

DE FERINIS THERMIS tractatio tertia.

Caput I.

ANtequam plura de thermis tractemus, vestrûm est scire materiam thermarum, & quid ea sit: Deinde, thermas esse resolutas mineras corporis, quod simile & cognatum est alumini, vitriolo & sali, attamen non idē quod ipsa. Ad hæc, has thermas nulla re à se mutuo separatas esse in virtute atq; efficacia, nullamque talem accidentalem habere naturam, qualem aliorū balneorum processus continet. Cōsistunt enim per se liberè & distinctè in suis generationibus: & sicut marmor non potest inquinari aut misceri alabastro, aut arbor cydonia moro, ita alienæ virtutes non miscentur his naturis, quæ nullo modo mutantur, etiam si per mineralia & alia similia fluant.

Caput II.

SVnt præterea & alia thermarum genera orta ex ſeparatione, præter iam dicta, quibus alia vis & natura ineſt: quæ licet virtutem habeant aſcititiam, nihilominus tamen vires & natura inſunt ipſis maiores, quàm alijs, de quibus prædiximus: & hæc eueniunt hoc modo: Septem quãdo mineralia ſunt in tribus primis, ac in ipſis ita corrumpũtur, vt ſuum effectum præſtare nequeant, ac diuerſæ naturæ cataractæ, vel per *poros*, vel alios meatus penetrarunt in *alterius* naturæ aquas: tunc miſcent ſe virtutes prædictorum metallorum: vnde neceſſariò virtutes ac vires primarum trium in vna aqua perfectè cõueniunt, & propterea induit illa veram naturam metalli illius, per quod fluit. Hinc animaduerte, multas eſſe thermas vtiles lepræ & morpheę, ac illarũ formis: cuius cauſa eſt, quòd ipſis inſit prima trium materia, vt modò diximus. Ineſt ipſis quoque cura & reſtitutio contracturæ, magnæ hypoſarcę morborum in matrice violenter ſęuientium, & aliorum, qui corpus debile reddiderunt.

Sunt

Sũt etiam nonnullæ thermæ, quæ argentum continent primam materiam trium. Hæc conducunt insanis & furiosis: nocent verò ijs, qui morbo articulari laborant. Ex Mercurio prosilientes more prædicto, curãt alopeciam, morpheã, pruritum & vlcera communia, pro salis metallorum abundantia, in quo consistunt. Prętera in morbis febrium & putrefactionum thermæ ex ferro, vel per ferrum prosilientes, mirabiliter sanant. Deinde quoque & Venere siue cupro, quę pares sunt floribus æris in abstergẽdo & purgando vitia corporis, ac purgando longaonem. Primæ quoque materiæ Iouis, I. stanni, & Martis i.e. ferri, thermæ æstiomena & gangrenica vitia sanãt. Ex Saturno etiam thermæ oriuntur, quæ prosunt ad vitam producendã. Huiusmodi thermarum naturæ ac proprietatis sciẽtiam laudo in medico, qua non solùm exercetur medicina, verum etiam philosophia, quæ decet medicum, per causas dicitur.

Caput III.

PRæter iam dictas omnes, aliæ thermæ ex gemmarum liquoribus, siue per ipsos originem sumunt: vt sunt thermæ Smaragdi liquores habentes, quæ sine summis vitæ periculis non ferunt in se Venerem exercentes. Sicut enim Smaragdus in semetipso non patitur tales operationes absque sui detrimento: ita quoque eius thermæ non ferunt in hominibus tale quicquam impunitum. Similiter thermæ Saphiri naturæ homines liberant peste & anthrace. Quod propterea fit, quia ipsis inest liquor Sapphiri, obscurans lepram, tineam, leoninam & mordacem scabiem, imo & omnes cognatas species. Aliæ sunt quoque thermæ ex corniolo resolutæ, quæ sistunt & curant profluuium, vehemētem dysenteriam, hęmoptysmi, & omnem ex vulnere vel vena sanguinis fluxum. Sic etiam in mari sunt aquæ, quarum aliæ coralli, alię carabis sunt naturæ, eorumque virtutes retinent. Huius generis tot sunt balnea, quot gēmamarū genera, quę omnia hîc nō est referēdi locus, sed ex virtutibꝰ cognoscētur.

Caput

Caput IIII.

ALíjs porrò ex aquis naſcũtur margaritæ & concharum teſtæ, quarũ quædam ſunt inſtar nauiculæ: Harum peculiaris natura eſt curandi apoſtemata, panericium, aliaque ſimilia, ac vlcera æſtiomena conglutinandi: præterea tineas & fellas ſanandi, & quicquid ex ſpermate oritur, mitigandi, lac mammillarum augendi, meliusque efficiẽdi: à cancro & hæmorrhoidibus præſeruãdi: maximè & íjs auxilio ſunt, qui iactigationibus, ſpaſmate, aut tetano, paralyſi & minori apoplexia laborant. Ex huiuſmodi aquis margaritæ habent ſuas virtutes, quod hæ vniones ex illis naſcantur, non contrà aquæ ex vnionibus. Qua de cauſa virtutes prædictæ potius aquæ ſunt aſcribendæ, quàm margaritis.

Caput V.

MVlti quoque ſunt communes fontes, qui naturam habent arborũ, fungorum, boletorum, herbarũ, &c. pro regione petrę vel montis, ex quo fluunt ac ſcaturiũt. Cuius cauſa hæc eſt,

quòd ſit cõmunio & familiaritas iſtius ſubſtantiæ creſcentis in reſolutione: vt pars ſit in generatione, pars in reſolutione. Ex hoc deinde reſoluto liquore naſcitur fons, qui augetur ac minuitur cũ iſta materia creſcente: non ex cataracta, quemadmodum thermas oriri antè docuimus. ſed eiuſmodi fontes sũt aliquid vegetans, non aliter atque illud, quod in eorum regione creſcit: retinentque ipſarum herbarũ, arborũ, &c. vires, virtutes & proprietates. Hinc vngula caballina ſuas declarat vires in aliquot balneis, quę huius herbæ & proprietates re ipſa oſtẽdũt. Quędã mãdragorę & iuſquiamo sũt ſimilia, quæ eiꝰ ſunt naturæ, vt lauãti ſtatim inducant ſomnum. Nonnulla homines valde pingues efficiunt ex natura mucilaginis & viſci bituminoſi, quæ ex talibus vegetantibus in eiſdem regionibus aquæ accedunt. Eodem modo & aliarum omnium herbarum proprietates & naturas aquę imbibunt. Alię enim calorem vrticæ habẽt, aliæ frigiditatem mandragorę & opĩ, per quas paralyſim & ſchiaticam ſanant.

Caput

Caput VI.

NOnnunquam etiã vsu venit, aquas & fontes oriri in ijs locis, quos maxima hominum multitudo incolit. Horum fontiũ causa est sal, quod ex hominibus aut pecoribus terram ingreditur: vt pecora in stabulo si mingant, & pauimentum terraque irrigetur, aqua fluente fit salsedo stercoris & vrinæ: atque in huiusmodi commixtione nascitur sal nitri. Talis deinde aqua ex filtratura salis nitri vbi collecta fuerit in fontem vel paludem, retinet salis petræ naturam, prouocatq; scabiem. Cuius causa est: Corrodendo aperit cutem, quòd natura vrinæ hominis & pecoris in tali fonte & aqua perfectè inueniatur.

Caput VII.

VAriæ etiam aquæ nascuntur ex pecoribus & piscibus, vt paludes, in quibus semper vermes ac pisces agunt. Istę aquæ hominibus ad lauandũ noxiæ sunt. Suo enim veneno perpetuã gignunt scabiem & pruritum. Qui quoque ex istis bibunt, contrahunt sibi sca-

biem & pruritum. Non enim immeritò necessarium videtur, vt, quicumque tales pisciũ putridas aquas, in quibus vermes suas habent regiones, vsurpant, scabiei ac pruritui sint obnoxij.

Caput VIII.

EOdem modo fontes reperiuntur, qui vires cõcipiunt ex sterquilinijs, ex putrefacto stramine, vel gramine in agris, ex ramis vel foliis pinuum, *pro* natura & ratione loci, ac diuersa *materia*, quæ decet medicum obseruare experientia. Talium aquarum ingenia, virtutes, naturæ & proprietates sunt admodum varia. Quare medicum decet philosophicè agere, & experimẽta effectusque illarum virtutis quotidiana exercitatione discere, & in vsum transferre: easque vel suo Marte obseruabit, vel per huiusmodi locorum incolas prudentes & ingeniosos inquiri curabit. Hæc omnia verè doctis medicis semper cõmendata esse velim, vt & thermarum, & frigidorum balneorum, & aliarum omnium medicarum aquarũ causas & vsus diligenter

diligenter inquirent ac iudicent.

QVARTA TRACTATIO DE balneis.

Caput I.

ADhæc aquis ineſt & alia virtus aduentitia, quę guſtum mouet: vnde quædam thermæ acidas, quædam verò dulces habent aquas. Illæ prima ex ſua origine ſi tales ſint, vitriolū ipſis hac ratione materiam ſuppeditat. Vbicunq; enim vitriolum ex prima materia ſe reſoluit, efficit aquam acidam. Eodem modo ex ſua natura dulci, quæ ipſi innata eſt, dulcem efficit aquam. Quamuis & aliæ nonnunquam acidę poſſint inueniri aquę, non tamen ex hac virtute: quod, ex fine atque effectu, qui ad fundamentum balneorum conſtituendū pertinet, probandum eſt. Sic enim & ſalia, hoc eſt, ſalis fontes, & ſalis montes naſcuntur, quibus hoc loco ſuperſedebimus. Interim verò hoc loco tenendum eſt, omnes aquas acidas, quę in Europa, alijſque paſſim adiacentibus regionibus inueniuntur, ſuas naturas & proprietates ex vitrioli liquoribus primò accepiſſe, & re-

tinere: Quare ipsis quoque virtutes vitrioli ascribentur, videlicet, curare omnes serpigines, cicatrices, alopeciam, noli me tangere, & quamuis æruginē prorumpentem, veluti de ærugine scribitur.

Caput II.

ALiæ aquæ viribus accedunt metallis: vt ex vitriolo ducentes originē, vires habent commutandi quoduis ferrum in cuprum: & ex sale gemmæ orientes, quoduis lignum coagulatum in lapidem conuertendi. Aliæ sunt alijs multis & varijs virtutibus ac potentijs præditæ: vt nonnullæ indurant ferrum, aliæ chalybem emolliunt, aliæ fructus coagulant. Cuius generis & aliæ multæ sunt, quæ cùm medicinæ propter quam hæc de balneis scribo, non inseruiant, nec infirmis prosint, prudens hîc omitto, ac philosophiæ, commendo.

THEO-

THEOPHRASTI PARACELSI tractatio quinta. De omnium balneorum naturæ cognitione.

Caput I.

SI itaque velimus balneorum naturas & virtutes cognoscere, vt sciamꝰ cuiusnàm mineræ singula sint: oportet eas naturas discere ex operationibus & effectibus, quæ præstant, prout multos aut paucos sanent, ac morbos perfectè curent, aut solùm ex parte. Nec alia, præter iam dictas, proba balneorum vlla reperitur. Quamuis sæpe sapor aquæ sit sulphuris, ac innatent aliquando frusta sulphuris, aut similis mineralis, non tamen ex eo iudicium est constituendũ. Nam sulphuris originẽ prædiximus, nec id ad balnea spectat, vt ex eo nimirũ virtutes aquarum accipiamus ac dijudicemus. Omnium balneorum naturæ, & cuius quæque generis, proprietatis & materiæ sint, cognoscuntur eodem modo quo arbores. Has cognoscere quis obsecro posset, nisi fructus facerent? Ex fructibus cognoscitur natura, proprietas,

& ſpecies quæ ſit arboris. Eodem modo & ſingula in vniuerſa rerum natura, ex effectibus ſiue fructibus cùm docenda, tum diſcenda ſunt.

Caput II.

QVum ergo balnei gen⁹ ſit cognoſcendum ex fructu: ſciẽtiam eius ex operibus, quę præſtant in morbis, comparare neceſſe fuerit. Nonnulla enim balnea gignunt (fortè curant,) paralyſim, quæ ſuam ducunt originem ex Solis, id eſt, auri Mercurio, ſiue argento viuo: Quædã auferũt icteritiã, quæ ſunt ex Veneris id eſt cupri Mercurio. Alia conglutinant foramina & vlcera patentia, quę nata ſunt ex Mercurio ſiue ſpiritu argenti viui: Alia, ex ſpiritibus ſalis orta, curant febres: Alia contrarium faciunt: cuius cauſa eſt, quòd humana natura vel morbus ipſe & balnei proprietas inter ſe repugnent, & cõpoſitio mala ſit. Talis enim efficacia ipſis ineſt, quã certa proportione erga morbos ſic ſe habere oportet, quemadmodum & alia medicamina requirũt. Ex hac efficacia & ope-

operatione consequitur, quot & quàm variæ species mineralium sunt, tot etiã & tam varias aquarum esse virtutes. Vnde vlterius colligitur, medicum debere omnium mineralium vires & proprietates nouisse. Sic enim nouerit, quodnàm simplex in vnoquoque balneo prædominetur, & duo si æqualia fuerint viribus, & quibus ea constent.

Caput III.

ATtamen & illud verum est, ex variis hominibus varias proprietates discisi: veluti in vlceribus euenit. Centum homines simul vlceribus laborant, quorum sanantur quinquaginta, reliqui autem pereũt. Istarum operationum medicus debet habere iudicium & noticiam, vt sciat quorum hominum natura sit apta curationi, & quorum reluctans, & num tempus sanandi præsens sit. Quia his contemptis & neglectis homines negliguntur, & balnea contemnuntur. Cernitis enim Mercuriũ corporis mirabiliter sanare morbum gallicũ, vlcera foraminibus patentia, serpigines

&c. Tempus autem ſanandi ſi præterierit, tantùm facilè corrumpit, quantum ſanat. Videtis quoque ſerpentinam curare vulnera, non tamen omnia. Cõſtat vobis, materiam margaritarum curare phreneſi laborantes, attamen non omnes. Ergo theorica obſeruãda eſt, ex qua concordantia & compoſitum diſcitur, vereque ſcitur, ne contraria commiſceantur. Et quò tandem cõcludam, ex fructibus, hoc eſt, ex curationibus morborum, balneorum arbores, id eſt, naturæ balneorum cognoſcentur: in his ſemper praxis & thorica obſeruentur & examinentur, tanquam peculiaris foret profeſſio, & facultas foliis ſimilis. Nam aquis omnes inſunt virtutes, quæ herbis & lapidibus tributæ ſunt.

Caput IIII.

PRimò ſigna in balneis hoc modo notanda: quòd primùm per ſcabiẽ humoris expulſionem faciant, id tamen balnei verę virtuti non eſt aſcribẽdum. Nam quod illis cutem ſcabiem efficit, eſt ſal amianthi & vrticę. Illud corro-

corrodere, quod Germani peperã auſſchlahen.i. expellere, vocãt, nõ datur laudi balneo, ſed ex natura eſt corrodente, quæ iterum ſua ſponte conglutinat. Rodit enim & aperit iſta aqua, dum cutis & caro recentes ſunt inſuetæ, teneræ & molles, quam recentem mollitiem vbi amiſerunt, ſponte conglutinantur denuo. Hinc nota, talem aquam in corpus hauſtam quoque corrodere, quamuis non tanta vi: quia interior balſamus impedit. Multi verò ex tali corroſione contrahunt ſibi morbos in balneis, quæ neceſſariò in vltimam vitæ horam permanent. Iſtis corroſionis ſæpe fit, vt apertiones venarum, aliarumq́ue corporis partium, nonnunquã & oppilationes tranſituum atque meatuum, alij́q́ue morbi naſcantur. Quapropter hæc aquę ſiue balnei vis aperiendi cutem non debet ęſtimari bona, ſed corrodens. Quod ſi obiter accidat aliquid boni, idẽ euenerit quoque ſine tali corroſione. Quare adhuc plura de ſingulorũ balneorũ natura & proprietate ſunt obſeruãda, quæ nimirũ vires atq; virtutes ſingulis inſit pręter generales naturas ſuprà traditas.

Caput V.

QVò adhuc perfectius & melius naturæ balneorũ intelligantur, sciẽdum est, tres esse res, ex quibus omnis prodit medicina, Mercuriũ videlicet, sulphur & sal, quæ in suas iterum diuiduntur species. Quare & tria morborum prima sunt genera, quorum singula etiam in suas species sunt diuisa. Morbi quippe alij sunt Mercuriales, alij sulphurei, alij salis. Vnde sequitur balnea Mercurialia morbis Mercurialibus debere prescribi & adhiberi. Eadem ratio est & aliorum. Sic exulcerata oportet Mercurio sanare: viscosa, quæ in visco carnis sunt vitia, sale: eodem modo ignea sulphure. Et quemadmodum horum species variè sunt, ita balneorũ quoque varia sunt genera. Alius Mercurius curat vlcera apostematum, alius ęstiomena, &c. Ita quoque aliud sal alopeciã tollit, aliud pruritũ, aliud scabiem. Nec alia ratione, sulphuris natura intelligetur. Nam aliud extinguit ignem Persicũ, aliud icteritiam, aliud febres, & aliud alias morborum speces. Rursus quicquid lepram mundat, id est ex antimonij sulphure:

phure: quicquid hidropisim, id est ex sale gemmæ. In horum omnium progressione requiritur cognitio vniuersorum simpliciũ, quæ crescunt extra balnea, vt antea ipsorũ fecimus mentionẽ: & probè tenendũ est discrimen, quę balnea ex composito transeant in calorem, quæ ex composito in acciditatem, &c. quę etiam ex nitri oriantur natura, quæ ex liquoribus terræ, & quid ex ea spargatur terra. Quare quemadmodum sequentia balnea per species sunt distributa, ita quoque in omnibus alijs agendum est.

Caput VI.

HInc sequitur cibi & potus generalis ordo, qui ratione morborũ & balneorum hoc modo obseruandus est, Vt regimina ex natura cuiusq; morbi ordinentur, & sic instituantur, vt diæta cuiusque balnei proprię ac peculiari naturæ respondeat. Sic arsenici balnea non perficiunt suas operationes, nisi per lauantium abstinentiam, quæ diligenter obseruanda est. Auri balnea perficiunt sua confortationibus: itaque optimi ci-

bi & potus præscribentur. Et maximè obseruandum est, vt corpora mucilaginosa, in quibus viscus prædominatur, veluti podagra, fluxus, aliaque similia, balneis cum magna abstinentia vtãtur: Quicumque autem non laborant morbis ex viscositate natis, liberè possunt comedere ac bibere dum balneis vtuntur. Eodẽ modo tempus lauandi debet sumi ex mineralium gradibus, pro quorũ natura diu, vel nõ diu balneis immorãdi regulę sunt obseruandæ. Illud tamẽ summum est in balneis. Si ea prævaleãt morbis, nec abstinentiæ, nec tẽporis vlla habenda est cura: Q ãdocũque autem illis viribus carent, diæta adiuuat curationem, non tamen per se sanat. Nã curationẽ oportet ex balneo prouenire. Idcirco imprimis ratio est habenda balnei fontis, siue originis.

Caput VII.

PLurimum verò momenti positum est in medico, qui missurus ægrotos in thermas, præuidere atque præscire possit, annè vllo modo per alias medicinas commodius infirmis consuli ac sanitas restitui possit. Quæ certè cogni-

tio

tio magna & vtiliſſima eſt: licet communis cõſuetudo ſit, vt quoties medicus de ægroto deſperat, vel aliquod malum vereturipſi imminere, excuſandi gratia cõ ſulat ipſi thermas. Sunt quidem multi, qui delectationis gratia thermis fruuntur, de quibus hîc nullam profero ſententiam: Verùm qui à morbis liberari cupiunt per balnea, hunc ordinem vtiliter obſeruabũt. Primò animaduertẽdum balneis vires aliquas deeſſe, nec ſtaſtim ea morbis quibuſuis per omnia cõuenire. Qua de cauſa compoſitũ quoddam erit alicuius aut aliquorum adiectione, qua perficitur. Vt enim extra balnea in rerum natura videtis ſæpe correctiones fieri debere: eodem modo & hîc in balneis ſe res habet. Si quis paralyſim curare velit lauando, oportet balneum corrigere medicinis paralyticis: Sic etiã hydropiſi aliquem liberaturus, medicis hydropicis emendet, &c. Non debent omnes infirmi eodem in labro conſidere, morborum ſedecim genera curaturi: ſed quemque pro morbo & natura ſeorſim diſponere. Sunt profectò immatura cõſilia, ſiue ſcriptis, ſiue ore ſint expreſſa

à medicis, quæ talem confusionem vel induxerũt, vel approbatione cõfirmant. Si res ita se haberet in balneis, veluti arbitrantur isti, necessariò eadem foret ratio in simplicibus quoque medicamentis exhibendis. In neutris autem id rectè fit. Quare diligenter curandum est, vt omnes obseruentur proprietates, ac balneum componatur alijs medicinis, quò mundetur & accommodetur ad valetudinem restituendam, non ad excusationem medici.

DE VIRIBVS, OPERATIONIbus, & proprietatibus singularum thermarum, & quî ipsarum compositio fieri debeat.

TRACTATIO SEXTA.

De *thermis fauarijs seu fabarijs Rhetorum.* Caput I.

NVnc vt singulas thermas seorsim describamus, & quæ sint earũ materia ex effectu & operationibus, quas in ægrotis declarant, ostendamus: primò:

primò de Piperinis talis obſeruabitur noticia. Hæ non accipiunt ſuum calorē ex ſeparatione, ſed partim ex mineraliū vitriolatorum compoſito, partim ex tribus primis Veneris, Solis & Saturni: quare & ipſis innatæ ſunt eædē vires & virtutes, quæ vitrioli liquoribus, quæque inſunt Soli, Veneri & Saturno. Porro nō ſolùm per iam dictas defluunt mineras, ſed tandem etiam per mineras ferri, atque etiam nonnullos lapides alabaſtrinos, abſque mixtura aliarum cataractarum: ex quarta globi parte ſuū accipiunt centrum & cruptionem. Vires earum ſunt hæ: Sanāt podagricas mucilagines, viſcoſitates paralyſis: confortant & ſanitati reſtituunt paralyticos, qui nondum conſumptionibus laborant: colicā mouent ex membris, ac expellunt per ſedes & vrinas. Vnde & contractis proſunt, Leproſis cutem detrahunt, magnamque ſiccitatem efficiunt, quibus factis inducunt cutem nouam & integram: vnde ex parte lepram curare videntur. Sanant crurum vlcera, & omnia aliā corrodentia, modò ſint antea mundificātibus ad curationem præparata: Tēperant men-

ſtrua ſiſtendo & prouocando. Conducunt quoque iis, qui ex longa infirmitate reualeſcunt. Confortant enim ipſos & iuuant ad priſtinam valetudinem recuperandam.

Quandoquidem ſuprà oſtendimus, balnea eſſe in ſua natura conſideranda tanquam herbas, verbi gratia, acſi meliſſam deſcribat quiſpiam, &c. nō poſſunt abſque compoſito ſuum aſſequi finem in curandis ægrotis. Quiſquis itaque Piperinis thermis cum fructu velit vti *in* ſanandis prædictis morbis, ipſas præparabit eo modo, quem mox ſequentia ordine præſcribunt.

Contra podagram ſic facias.

Recipe aquæ vitrioli lib.j.
Salis gemmæ lib.ſs.
Thermarum aquis impleas labrū: hæc commiſceantur, ac lauetur in ea aqua in nonum vſque diem, poſtea hoc modo immutes.

Recipe foliorum hellebori nigri,
foliorum ſenæ, ana ſemiſſem:
Fabarum,
Lentium, ana lib.iiij. Ebulliant cōmuni more in prædicta thermarū aqua,

ac

ac lauando absoluas tuum tempus. Singulis septimanis quoque vtaris semel purgatione podagrica.

Paralyticis ita præpares.

Recipe flammulæ,

Erucæ rubeæ, ana m. vij. Decoquantur, & in ijs se lauet in medium vsque lotionis tempus: postea hac ratione immutetur.

Recipe petrolei ʒ iij.

Olei philosophorum ʒ.iiij.

Aquę thermarum lib.j. misceãtur, ac bene ebulliant in vase occluso: Deinde infundãtur omnes aquæ in spongias marinas, quas imponas thermis, ac laues. Nec interim confortantia negligas, quæ intrinsecè sumi debent.

Contractis sic præpares.

Recipe serpentinæ longæ, m.ij.

Agrimoniæ,

luæ arthetícæ, ana m.iij. Has herbas noctem ac diem relinquas in aquis, ac tertiò die balneis insideat, lotionemque cõtinuet. Poteris etiã renouare pro constitutione personæ.

Leproso contra lepram Hoc modo.

Recipe flammulæ m.x.

Vngulæ caballinæ m.v. ex quibus exprimas prædicta aqua ſuccum, vt ſexta pars balnei ſit huius coloris ſiue ſuccii: in ea aqua ſe lauet, quæ multum viſco ſitatis & ſordium extrahet. Quòd ſi propter fœtorem alia requireretur aqua, renoues: & ceſſantibus operationibus, laues te in ſimplici & pura aqua, donec tempus lotionis compleueris.

Ad foramina Vlcera quæ patentia.

Commixtio fieri debet ex aquis aluminis, culiculæ, ſerpentinæ ana, reſpectu duodecimæ partis aquæ balnei: in ea lauentur patentia corporis vitia, non aliæ partes: eadē aqua purgetur corpus pro more & conſetudine iſtiuſmodi vlceribus laborantium.

In menſtruis.

Lauentur pura aqua, & bibendā porrigas hanc compoſitionem:

Recipe liquoris meliſſæ,

Pulegij,

Artemiſiæ ana: & quadruplo plus aquæ commiſceas, lauet infirma, ac prædictam bibat aquam, donec tempus lauandi compleuerit. Correctio autem reliqua eſt petēda ex ipſis thermis, verum obſer-

obseruando ordinem.

Eodem modo & reliqua singula balnea,quæ talibus conducunt morbis,corrigentur & componentur. Quare nec opus est ea singulatim pluribus describere:verùm pro re nata obseruandi sunt alij morbi,aliæ balneorum naturæ,atque hinc,quas singula requirant additiones obseruandum & cognoscendum est.

De *termis Ergouiæ in Heluetia.*
Caput II.

THermæ Ergouiæ, quæ appellantur superiores, originem ducunt ex liquoribus gemmarum, vt Carabe, Citrinulis,Margaritis, & spirituum metallorum Veneris & Iouis mixtura,fluxũ sumunt ex quarta globi parte. Miscentur aliæ ipsis aquæ inter fluendum:vnde solet balneorũ maior ac minor vis comparatione promanare: Vẽto & aeri sunt obnoxiæ,qui eas ferè extinguũt. Deinde fluũt per Saturninum arsenicũ, qui habet aduentitias vires ex calce viua & asphalto. Virtutes harum sunt similes Piperinarum, excepta curatione morbo-

rum ex mucilagine ortorũ. Sed amplius hæmorrhoides mitigant: oppilationes in cardiaca passione, & oppillationes ex tartaro aperiunt: lapidis generationem amouent: dolores articulorum & caducum tollunt. Mulieribus non multum prosunt, nec obsunt, nisi aliquod semen fuerit ad bonum aut malum tendens, illud promouent ad sanitatem.

Corrigũtur ad istos communes morbos curandos, eadem ratione, qua Piperinæ: quantum verò attinet ad peculiares, vt hæmorrhoides & menstrua, debent corrigi succo sauinæ, vt aqua centuplo excedat succum quantitate, ipsaque continuè vesperi & manè bibatur: Plurimum hæc prodest oppilatione & cardiaca laborantibus, nec non ijs, qui tartarum habent in renibus, aut eorum regionibus: sed tunc debet misceri oleo cupertino, vt duodecima gutta sit oleũ. In vlceribus (quæ peculiariter sanãt) curandis, temperabuntur realgare fixo, & sic ista sunt vsurpanda pro more & consuetudine lauantium, in finem vsque. Est & natura earum, vt scabiem, pruritum & saphiram, si mixtæ fuerint cum aqua aluminis,

luminis, perfectissimè tollāt. Tales correctiones oportet fieri propter aquarū imbecillitates, quas contrahunt ex confluentibus aquis alijs.

De Valesianis thermis.

Caput III.

THermæ Valesianæ oriuntur ex tertia globi parte, ex magnetibus & carabis: trāseunt per mineras & fragmenta lapidum merchasitæ, thalci, cachymiæ, &c. & aliqua, quæ sunt naturæ granatorum calorem sortiuntur separatione, gradum verò ex alpibus semper niue tectis: refrigerantur liquoribus christalli: extrahūt cachimijs & Marchasitis suum sulphur, adhærente vitriolo: breuem habent gradum perfluendi mineralia Lunæ & Mercurij. Virtutes ipsarum sunt per omnia similes prędictarū. Sed quemadmodum scamonea præualet viribus polypodio, ita thermæ Valesianæ alijs præstant. Quare & correctiones illic maximæ debent obseruari. Insunt ipsis tales proprietates & conditiones, vt imminentem lepram aperiāt, ac itidem hydropisim, cuius aliqua vestigia apparent: Similiter & contracturam

colicæ inteſtinorum, quę alioqui in malum tenderet finem. Nocent inflammatis oculis & auribus: Semen iuuant vel ad morbum, vel ad ſanitatem.

De thermis Plumbeis Lotharingiæ. Caput IIII.

THermæ Plũbeę colliguntur ex confluentibus liquoribus foueæ, in ſuperficie globi. Sunt materiæ putrefactæ & collectæ, veluti dictum eſt, ex variis rebus. Putrefactionis illius natura eſt tanquam fimi, qui frigidus eiectus & compoſitus putrefactione ſua concipit calorem. Tali ergo forma & conſtitutione Plumbeæ thermæ oriuntur. Principio ex ſemetipſis gignunt nitrum & terrenum ſaporẽ ex terreo ſulphure. Quare his non inſunt præclaræ virtutes: ſolum eas habẽt, quas nitrum, hoc eſt, pro communi aquarum natura ad corroſiones cutis abſque commodo, per multas lotiones & magnos labores. Ex parte etiam ea promouẽt, quæ in corpore iam inclinant vel ad bonum, vel ad malum. Hîc medici prudenter conſulere debent infirmis, in tam verſatili bilance ſedentibus. Adhæc præditæ ſunt virtutibus con-

cõglutinandi vlcera patẽtia ex carnis salib⁹ nata: id faciũt ſtipticitate ex natura compactiua, & ſerpentinæ, quę ineſt ſordido iſti nitro. Quicumque autem iſtiuſmodi vlcera voluerint ſanare, debẽt corrigere & temperare balneum realgare fixo, ac more ſolito omnia obſeruare. Plurimum quoque mouent profluuia alba mulierum, quæ intra aliquot annos futura ſunt, ac futuras febres: ſimiliter vlcera aperiunt. Vbi autẽ illa mala adſunt, nullo modo poſſunt tollere. Promouent etiam dyſenteriam & hæmorrhoidas. In alijs verò maioribus morbis per ſe, & ex ſua natura, etiã correctionibus additis, paruæ ſunt efficaciæ. Qua de cauſa ipſarum virtutes & vires nihil feræ amplius laudare poſſumus, quàm aliàs communes & ſordidas aquas, quæ etiam eiuſdem ferè ſunt naturæ.

De *thermis occiduis Halſatiæ*.

Caput V.

HOc balneum ſuam ducit originem ex reſoluto viſco terræ, non aliter atque omnis terra ex vi & natura elementi aquæ ſuam habet facultatem

ſudandi. Vnde ſequitur, quot ſunt genera terrarum, tot eſſe genera aquarum, & reliquorum ex ipſis ſtillatim promanantium. Sic peculiaris in iam dicto loco eſt natura, & peculiaris terra ſolummodo apta ad iuuandum ſemen, ſiuæ id ad bonum, ſiue ad malum fuerit ſparſum. Chirurgicos quoq; morbos, vt patentia foraminibus vitia, exulcerationes quæ ex vlceribus originem ſumunt, fiſtulas, malè curata vulnera, & vulnera quæ degenerarunt in foramina, ſanāt: Et alias quarundam aquarum virtutes, quæ plærisque omnibus aquis euenire ſolent, hæ ſecum ferunt altiori quodam gradu atque robore.

Non admittunt correctiones in morbis interioribus phyſicis: Quia per ſe operationes conantur perficere abſque compoſito. Chirurgicis verò in morbis hæc correctiones addendæ ſunt. Lutum in calcem paulatim reuerberatione redigendum eſt, poſtea reſoluendum in liquorem, vel extrahendum ex ipſo alkali, & applicandum corporis vitijs, dum infirmus exit thermis, & in ipſis thermis lauari aqua prædictis liquoribus mixta.

Curant

Curant similiter exulcerationes vesicæ, & alias interiores vlcerationes, quæ ex apostematibus gigni possēt. Hic liquor, prædicto modo resolutus, est præclara medicina podagricis & paralyticis, & omnibus, qui morbis ex mucilaginosis ortis liquoribus laborant, & caduco etiam obnoxijs, si addantur correctiones, quæ suprà de istiusmodi morbis sunt traditę: lcteritiam tollit bibitus cum reolis: prouocat vrinam sumptus cum pilulis albis. Vehementer obest hominibus siccis & calidis. Caueant ergo sibi ab hoc balneo omnes, qui obnoxij sunt talibus siccis & calidis morbis. Reliquæ autem virtutes & vires, quæ ipsi insunt, originem sumunt ex temporis & methodi commoditate.

De thermis Marchionis, Ferinis, & Sellensibus.

Caput VI.

HAe tres thermæ, Inferiores, Ferinæ & Sellenses vnam babēt originem, cataractis verò diuiduntur in tres partes: ex calce profluunt, ac inde calorē concipiūt. Cataracta, quæ ducit ad thermas Inferiores, siue Marchionis, integra

& perfecta manet, vſque ad ſcaturiginẽ, per duriſimas petras & montes, nec interea, dum fluit, vllas virtutes accipit aliunde.

Altera cataracta, tendens ad thermas Ferinas, etiam fluit per duras montium partes, habetque venam mixtam ſibi, quæ calorem, aliasque ſimiles virtutes aufert. Quare viribus frangitur, nec integra permanet.

Sellẽſes thermę omnino rẽfrigerãtur aquis influẽtibus. Fluũt enim per mõtoſa nec vllas alias virtutes in fluxu concipiunt: principiò quũ oriũtur, nihil ſunt, niſi cõmunes & vulgares aquæ: quę per calcem dum fluunt, ab ea calorem ac virtutes accipiũt. Quare magnis & præclaris virtutibus iſtę thermæ non ſunt præditę, ſed ſolùm habent eas, quas ex calce accipiunt.

Harum itaque naturę & operationes non ſunt admodum excellentes & validæ. Erodendo cutem aperiunt per naturam à calce acceptam: virtutes nullas habent, conglutinandi patentia vlcera, ſolùm purgant & abſtergunt. Aliæ virtutes, quas in membris contrarijs habent,

ſunt

sunt admodum imbecilles & infirmæ. Colicę mitigatio, quæ per illas fit, communis est omnium aquarum, quę calefiunt, aut per calcem colantur. Similiter quòd lassitudinem extrahãt, appetitum excitent, agilia & leuia membra restituant, id longo fit ocio inter lauandum. Senibus, qui laboribus confecti sunt, & mulieribus, quæ sæpissimè pepererunt, sunt sustentationi. Parum sanè discriminis est inter has tres thermas, quantum ad vires attinet. Quicquid verò discrimi nis est, id fit ex aquis influntibus, quæ seiterum diuidunt. Insunt ipsis quoque vires mitigandi graues & difficiles morbos, nõ tamen sanandi. Adhæc quicquid natura ad bonũ disposuit, vel quicquid ad malum ordinatum est, promouent. Correctione nulla indigent. Nam vbicumque res ipsæ non habent vires & efficacias, ibi nihil correctionibus effici potest.

De thermis Castinienſibus.

Caput VII.

THermę Castinienses, in Salisburgensi principatu sitæ, oriuntur ex calce marchasitę, antimonij & salis

nitri. Defluunt ex ſexta globi parte abſq; aliarum aquarũ mixtura. Cataracta penetrat matrices ſylueſtrium & rubearũ granatorum, & aureas granatas, quæ ſimul lapidoſę ſunt, quibus adiungitur quoque multum metalli Lunę & immaturi auri. Retinent virtutes, efficacias, & gradus caloris ſemper, donec prodeant in lucem. Accedunt ipſis vires ex cuperoſo vitrilo, extrahuntque ex minerali-bus arſenicum & auripigmẽtum, ac deſpumando à ſe reiiciunt ſulphur quoddam fixum & non fixum.

Virtutes harum perſimiles ſunt Piperinarũ, ſed gradu periculoſiore. Omnes enim exulcerationes interiores corporis in his thermis aperiuntur & virumpuntur: propterea hominibus, qui laborant exulcerationibus, iſtę thermæ Caſtinienſes nõ conducunt. Facultas ipſis innata eſt, tertio anno conglutinãdi patẽtia vitia in corporis extremitate, cum correctione ſequente: Similiter anno quarto ſufficiũt cum correctione in curandis contracturis. Huiuſmodi naturã ſortiuntur ex accidentis ſalis nitri incremento, quod anno quinto tribuit ſuum augmen-

augmentum.arsenicus anno quarto, & auripigmentū anno tertio:Ex his tribus nanciscuntur prædictas virtutes & ope rationes.Naturam verò rumpendi vlcera,accipiūt ex marchasita, quæ idē præstare solet.Quantum ad reliquas attinet virtutes,similes sunt alijs thermis & aquis,præsertim in tartaro renum curando,addita correctione.

Correctio in apertis vlceribus curandis.

Recipe Aquæ aluminis,

Aluminis lameni, siue plumosi ana lib.ij.

Consolidæ,

Mucilaginis lib.i.

Aquæ thermarum quantum sufficiat:ordinem prædictum obserues.

Correctio in contracturis sanandis hæc est:

Recipe Olei de anthera liliorum ʒ.iiij.

Aquæ aluminis lib.ss. Coquantur simul, donec oleum fiat candidum & mucilaginosum: effundas in calidam aquam,in qua laues pro ratione valetudinis tuæ.

Correctio in tartaro auferendo,

Recipe radicum aquilegiæ lib.i.

Seminis tanaceti lib.s.Coquantur

vnâ, deinde miſceas aquæ, in qua laues pro valetudinis tuæ ſtatu. Aliæ virtutes harum Caſtiniẽſium thermarum ſimiles ſunt illarũ, quas antè deſcripſimus.

De thermis Dopplicianis in Bohemia, item de Auſtriacis & Villachianis.

Caput VIII.

EOdem modo hæc tria balnea naſcuntur: prodeunt ex calce, non tamen vllas virtutes inde ſecum ferunt. Nam earum cataractæ, & alia quæ inſunt eiſdem cataractis, nullam efficaciam aut operationem incidentem tribuunt. Calefaciunt quidem à calce, at ſine vlla calcis accedente virtute, aut inhęrente natura. Quum itaque nullæ aliæ vires his inſint thermis, quàm comuniũ aquarum, quæ pręter calorem nullã habẽt vim: nihil de ijs hîc ſcribemus. Quãuis Auſtriacæ nonnihil habeant naturæ talci & cachymiæ, tamen nullis peculiaribus prædităe ſunt virtutibus. Quare ſimiles reliquis vulgaribus ſunt aquis.

De fonte Goppingensi, & alio sub Confluentijs, & acida aqua in palude Egræ, & fonte Rhætiæ.

Caput IX.

HI fontes acidi saporis vno & eodē modo primam sumunt originem, pauciſſimis tantùm exceptis. Goppingensis nimirum aqua est communis & vulgaris, concipitque aciditatem ex mineralibus, per quæ fluit, nimirum vi triolo, cupro & ferro. Natura eius adeo subtilis est, vt simulatque ipsi calor accedat, sapor euanescat, virtus tamen ipsi insita permaneat. Mineralia, ex quibus acidum saporem contrahit sunt immatura, iacentque in prima materia aquis submersę, quare aquis vires tribuūtur. Et quoniam noctes etiam atque dies fit incrementum & confluxus, alio loco magis quàm alio, ipsis virtutes magnæ sunt in purgando & conglutinando patentia vlcera, cū primis correctionibus. Præterea scabiem ac pruritum, & quicquid eius generis est mixtū sale, aufert. Ex immaturo vitriolo & minera Martis præditum est facultate cōfortandi sto-

machum,aduersa expellendi, excitandi appetitum cibi,dolores ex frigore ortos mitigandi: imo quicquid est putridi in corpore,cum alijs excrementis expellendi.Chronicis autem laborantes morbis abstineant ab ea aqua:Similiter caueant sibi febre quartana afflicti: & inclinati & obnoxij hyposarcæ,nisi ablata fuerit,abstineant.

Balneum apud Confluentias in lauādo caret omnibus virtutibus: bibendo verò naturam habet confortandi *stomachum*,& putrida expellendi.

Fons apud Egram aciditatem suam accipit ex putredine loci paluſtris: parū autem adhæret ipsi ex prædictis mineralibus. Rhætorum verò similis est Goppingensi,nisi quod nobilior sit, propter plura mineralia in eius cataractis iacentia, per quæ acida fluit aqua, quæ melius etiam purgatur.

De salsugine. Caput X.

HAnc proprietatem notate salsuginis: Quicumque & ordinariè pro ipsius propria natura in ipsa se lauerit,

uerit, ſecurus & tutus redditur à putridis crurium vlceribus,& omnibus, quæ ex ipſis poſſunt oriri: arcet quoque vlcera patentia, quę ex puſtulis naſcerentur. Podagræ item fluxus & paralyſis, nec nõ omnẽ à principio hydropiſim & hypoſarcam aufert. Natura quoque ipſius venas, neruos & articulos cõfortat,& quicquid ex fluxu ſiue liquoribus oriuntur, id conſumit. Eſt præterea eius naturæ, vt quicquid per ſe nõ efficiat, illud nec vllis additionibus tranſigere poſſit.

Præter hæc omnia quę de balneis ſcripſi, animaduertite, multas mirabiles vires & proprietates ipſis ineſſe, quæ hactenus verè non innotuerunt. Siquidem ex peruerſo iudicio imperitorum doctorum ac medicorũ adeo in abuſum perueniunt balnea, vt propria ipſorum natura nihil in morbis curandis efficere poſſit. Omnis enim virtus perperã vſurpata, abſque fructu perit. Sunt præterea iam deſcripta, in alijs quoq; regionibus multa, de quibus meam generalem ſcripſi ſententiam in principio libelli. Attamen quò omnia fiant planiora, & vos cunctiq; mortales facilius & rectius in-

telligatis balneorū naturas, obſeruandę ſunt herbæ, quarum viribus comparantur. Thermæ Piperinæ comparantur meliſſæ, foliis ellebori albi & nigri, Iuæ artheticæ, agrimoniæ, ſerpētinæ, & aliquo modo mumiæ. Superiores thermæ in Ergouia accedūt ad naturā artemiſiæ, & ex parte baſiliconis, pæonię & aluminis. Valeſianę in aliquib⁹ ſimiles ſunt alumini, deinde & Iaſſę, & antheris liliorū. Plūbeæ habent naturam ſolatri & portulacæ, vnâ cum aduētitio calore. Inferiores in Marchionatu, & aliæ in Hercynia ſylua, &c. aſſimilantur chamomillis, & non nihil Iuæ artheticæ. Occidentales rectè comparantur bolo Armeno, & in aliquibus Iaſſæ. Caſtinienſes ſunt ſimiles meliſſæ, pulegio, Iuæ artheticæ, ſerpentinæ, conſolidæ, ac maximè chamomillæ. Balnea Doppliciana, Auſtriaca, Villachiana, &c. accedunt naturā liguſtici. Salis ſalſugines habent naturam calcis extinctę, lithargyrij prępparati, & boli reſoluti. In his poſtremò notandum, licet herbę iſtiuſmodi prædictę magnis virtutibus ſint ornatæ, ac ſingulæ ſuis peculiaribus: tamen vires & auxiliares virtutes

tes sæpissimè amittunt. Sic etiam balnea in suis virtutibus inconstantia sunt. Quare in consilijs dandis huiusmodi cautelæ cumprimis sunt obseruandæ. His itaque tractationes has impræsentiarum concluſas esse volo. Faxit Deus Optimus Maximus vt rectè & cum fructu intelligãtur.

FINIS.

DE THERMARVM FAVARIAE, IN SVPERIORI HELVETIA SITARVM, VIRTVtibus, viribus, operationibus, origine & scaturigine: item quis modus cibi & potus ijs sit obseruandus, qui his vtuntur: libellus sanè perquàm eruditus. Per doctissimum virum Theophrastum Paracelsum vtriusque Medicinæ Doctorem.

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI Iacobo Russingero, Abbati monasterij Fauariani, Domino meo clementi.

INitio huius tractationis, Reuerendissime Princeps ac Domine, docendum nobis meritò fuerit, quosnã deceat res naturales describere. Quod quidem hoc modo intelligendum erit. Homo nascitur duobus è parentibus, quorum alter quidem est terra, alter verò cœlum. Terra est homo, cœlum autẽ ipsa sunt

sunt astra. Ex homine concipitur corpus, ex astris siue intelligentia. Homo quidem gignit suã imaginem, astra verò suum naturale lumen. Vnusquisque itaque nascitur in natura sui patris, â quo quicquid accipit, hoc liberè potest in vsum proferre. Filius siquidem potestatem habet sui patrimonij. Quum igitur vtrumque, tam corpus, quàm naturalis intelligẽtia, nascatur in naturali lumine: consentaneum est, eos, qui natura astrorum illuminantur, adeo magnos & admirabiles suis inferioribus apparere, vt nonnulli pro dijs habeantur ab his, qui minori influentia homines fiunt. Et hoc quidem modo illustratũ cumprimis honores & laudes tanquam gratissimam hæreditatem amant & expetunt, tum etiam vt plurimum assequuntur. Malo autem sydere nati, & imperfecti, diuitias solùm animo delecto licet sub specie quadam honesti, cupiunt & affectant. Quum itaque nulla hæreditaria sit sapientia, nisi superne per astra tradatur: hac reiecta, errores, impostura ac fallaciæ secutæ sunt, quæ arti medicæ incõmoda nõ sanè parua intulerũt. Cæterùm quũ diuina prouidentia huiusmodi imposturas probè cognouisset esse futuras, speculo prophetiæ Christus ipse amorem in proximum cõpleuit, qui vulnerato ad Hierichuntem non misit ex Academijs me-

dicos, sed quendam ex plebe Samaritanorum, qui sine omnibus fallacibus receptis & cõpositis, oleo & vino ipsum fouit, ac sanauit. Quo facto Deus mirabilia sua opera variè declarat, & docet, ne infirmi deducantur in errores & imposturas imperitorum medicorum: & si fortè decepti fuerint, à Deo, hoc est proximo suo, cognoscant se refici, diuinis nimirum cõpositis ac formulis, quod his thermis Fabarijs probatur euidentissimè. Quare R.P. ac domine, decet me harum thermarum virtutes & vires describere, quemadmodum istas immensa Dei magnalia patefaciunt. Quum verò diuina prouidentia in tuæ Reuernetiæ principatu sua clementia & cœlesti impressione talium thermarum origines & virtutes dederit, quas tũa generosa & innata virtute constanter, magna cum laude & honore conseruas: non ab re tuæ reuerendissimæ Clementiæ hoc opusculum dedicare, & in tuam laudem in lucem edere visum fuit. Cogitandum profectò est, huiusmodi munera diuina propter imperitos medicos, ægrotantium in vsum esse data, quæ etiam ipsis sunt concedenda & offerenda, cum nostris simul consilijs, quæ sequentibus in capitibus explicantur. Ea conscripta sunt, vt thermarum vires patefiant. Quare Reu. tua Clementia cum infirmos,

tum

tum me quoque sua clementia principe digna, & virtutibus honestis, veluti hactenus fecit, sic & deinceps complectatur ac prosequatur. Datum in Tuæ Clementiæ monasterio Fauaria, vltimo die Augusti, anno minoris numeri. 35.

Tuæ Clementiæ

Cliens

Theophrastus Paracelsus doctor.

DE THERMIS FAVARINIS, IN SVPERIORI HELVETIA, PRINCIPATV REVERENDISSIMI Principis & Domini, Ioannis Iacobi Russingeri gratia Dei Abbatis ibidem, in præfectura Sarzuneta siue Sarganſenſi ſitis.

OMnia, quæ in orbe terrarum inueniuntur, tribus his orta ſunt, ſulphure, Mercurio & ſale, quemadmodum euidenter ex philoſophia liquet, metallorum, ſilicum & gemmarum ortu, ſimiliter onium fructuum, qui ex terra proueniũt, generatione: quæ omnia probant ſemper ſuam primam eſſe materiã iſta tria, ſeque in eadem poſtremò reſolui: Qua ſanè inquiſitione & inuentione vires & virtutes ſequẽtes intelligi poſſunt. Hæc dico, vt hinc conſtet, quænam thermarum, quæ in Europa mihi innotuerunt, ac ſeipſas quotidie patefaciunt, prima ſit materia, primumque corpus: quo cognitio, mox ſequitur, vt pro inuenti corporis natura medicus rem deſcribat:

Cæ-

Cæterùm in explicatione Fauarinarum thermarum, oculis non ſubiiciũtur tria prima. quod hoc modo intelligetis. Hæc aqua non ex prædictis corporibus ſuas vires & virtutes adepta eſt: propterea etiã nullo modo æſtimabitur fructus elementi, ſed per ſe elementũ perfectũ, ac vt elemẽtũ deſcribetur proprietatibus ſimilitudine aquę. Quẽadmodũ igitur aqua primũ oritur, ita quoq; hę thermę primò iudicabũtur naſci. Vnde nec docti hîc mentionẽ facient ſulphuris, Mercurij & ſalis, nec ipſis virtutes ſimpliciter aſcribẽt. Quæ autem prima ſit ipſarum origo lumen naturæ docet, veluti ſequentia explicabunt. Lumen nimirum naturæ liquidè nobis demonſtrat, Deum ſingula diuiſiſſe ac ſeparaſſe, quę diuiſim ſeparatimque conſiſtere debẽt. Sic lumen & tenebrę ſeparantur abſque omni alterius incommodo, veluti dies & nox manifeſtè declarant. Separauit quoque metalla, vnumquodque in ſuũ proprium ſtatum: auro tribuit ſuũ curſum, ferro ſuum, æri ſuum: argento ſuã itidem gloriam: ſimiliter cuique metallo proprium domicilium. Diſtinxit quo-

que omnes marchasitas: sic salis genera, sic æstatē & hyemē, sic elementa, sic herbas, fructus, ac quæuis corpora: quò cernamus, quàm varias species Deus ex vno Iliastro creauerit: quanta hîc in terris eius magnalia exîstant: vt quamuis multa quidem genera granulorū arenę sint, attamen longè plures species Deus habeat in suò pharmacopolio, qui cœlū & terras adeo varijs modis exornauit, vt ea nullus mortaliū satis per omnia scrutari possit. Hæc propterea narro, vt *intelligatis* in his thermis Fauarijs aquas esse separatas in suum temperamentum & complexionem, calidam in suā venam & cataractam, frigidam itidem in suam venam & fluxum. Nihil enim adeo frigidum est, quod non contineat calorem aliquem in se, & contrà nihil adeo calidum est, quod careat omni frigore: vnde sensibilis calor & frigus separantur. Ita quoque in Fauarijs thermis, aqua elementum est diuisum ab alia aqua caliditate, quæ sensu precipi potest. Non quòd hæc aqua sola talis sit. sunt enim multo plures similes, quæ in fluuios, lacus & mare se exonerāt occultè: quia frigus

gus reliquarũ aquarũ extinguit istarum calores. Vnde etiam experientia docet multas aquas esse subtepidas, quas sentimus non adeo esse frigidas, atque communes aquas. Manifestè quidem cõstat, Deum in terris feciisse ardentes montes, vt in Sicilia, Mysia & alijs pluribus locis, qui perpetuò ardent, nec vnquam extinguuntur vlla aqua. Corpus quod ignem fouet sunt montium lapides & terra. Si ergo Deus istiusmodi mirabiles ignes in terris è lapidib⁹ excitat, quid obstat, quominus humana ratio concedat ac intelligat, Deum posse ac velle aquas ostendere flagrantes? Experientia enim constat, vinum in se continere ignem ardentem, vbi acetum ipsius fuerit separatum. An non & diuina potestas & segregatio queat ignem & aqua separare: eiusque acetum in peculiarem locum reponere? Nostri quidem oculi vident, ac probant, ignem consistere in solo sulphure, hoc est lignis: sed lapides ardẽtes rursum declarant magnalia Dei esse mirabilia, qui saxa curat flammas emmittere, calefacitque aquas.

Quare ardentes mõtes oculis quum

cernimus, facilè colligimus in terra istiusmodi existere ignē copiosè, per quē latices aquarum dū penetrant, calefiūt, nec aquæ conceptum calorem amittūt breui spacio nec tempore, sed proferūt eum in terræ superficiem & ambitum. Hęc tamen aqua nō eo modo indipiscitur suum calorem: quia nec saporē, nec odorem, nec proprietates & mixturas talis terrei ardoris & ignis habet, quæ quidem in alijs calidis reperiūtur aquis, sed in his Fauarijs thermis huiusmodi nunquam sentiuntur. Est enim per se aqua pura & limpida, nullo corpori mixta, nec malus sapor aut odor in ea reperitur.

Illud quoque animaduertendum est, Deum essentias rerum ita distinxisse, vt altęra nequeat alteram impedire. Sol retinet suum calorem Luna suum frigus: simul in cœlo existunt, & singula in sua propria essētia. Quæ vt in cœlis sunt, ita quoque hîc frigidæ & calidæ aquæ sine suarū substātiarū & formarū interitu ex terris scaturire possūt. Natura etiam docet herbis ardētes vires ac similia ineſſe: sed iste ignis sēsu manifestè quū nō per-

cipiatur,nō ex eo ſimilitudinē hīc petemus,verùm ex eo potiꝰ,qui ſub ſenſū cadit.Non dubiū quoq; eſt,quin multi ſint montes apti ad concipiendū ignem,qui adhuc reuera non flagrant : veluti mea ætate in regione Styria, prope ſyluam, quam vocant Ebiſchvuald, paſtores autumno ad ſalicem fortè extruxerant ignem,quo multa prata incēſa ſunt.Hoc facto,certis cāpanarum ſignis homines conuocati ſunt,ac foderunt vndique circa ignem foſſam,qua includerēt ignem, ne longius progrederetur. Vtrum verò extinxerint ipſum,nondū mihi conſtat. Iſtiuſmodi certè cauſis poſſunt ſcaturire etiā calidæ aquæ,quæ non debent ęſti mari thermæ , ſed communes calidæ aquæ.Quò autem ſciatis cauſam, ob quā thermę Fauarię euaneſcant , ac iterum certo redeant tempore,hæc perpendite. Quęcumque Deus creauit,ea ordinauit in hoc,vt aliquando regenerētur:ſic vetuſtate confecta reficiuntur morte. Singulis enim rebus ſuum prędſcripſit termi num , quo gandebunt ac ſe exultabunt, nec vltra eum ſuas exercebunt vires bonas vel malas:exempli gratia : Lunæ ter-

minus est quatuor septimanarum: quo tempore absoluto, fit noua: & nihilominus permanet vna & eadē Luna. Quod si Luna quatuor septimanas superaret, malitia ipsius tantùm augeretur, vt omnes stellas ea supprimeret. Quare in suo instituto cursu vbi maximè ascenderit, cogitur iterum descēdere ac renasci. Eodem modo singulis creaturis, bonis & malis sui limites cōstituti sunt, quos trasire nequeunt. Vrticę crescēdo si suos transirent terminos, quàm essent *acres* & ardentes? Sic rosæ suum terminum si trāsirēt, quit ferret earū fragrantiā? Itaq; Deus bonis & malis suos præscripsit limites, ne quid nimium ascendat, quod profectò, non conduceret. Ita quoque thermæ Fauariæ ad regenerationem institutæ sunt, quo sua retineant virtutes, & non declinēt nimium ad bonum nec malū. Hęc melius hac ratione percipietis: Deus æstatem ordinauit, in ipsa vt omnia corpora crescerent ac viuerent, quę Solis viribus sunt subiecta. Hinc vnâ cum æstate cōstellatio ordinata: herbæ, aliaque eius generis crescunt, ac vnâ cum ipsa rursum moriuntur. Pari ratione

ne animaduertite quoque thermas Fauarias renasci, verno tempore ac autumno terminari, cū herbis crescere ac mori. Et quemadmodum herbę, Sole accendente & ascēdente, vi producuntur è terra: sic quoque potestate ac operatione Solis thermæ Fauariæ coguntur vnâ cum terræ fructibus prodire, & simul cum ipsis euanescere, suumque referre semen in terram, quod Solaribus postea viribus renouatur, ac in suū pristinum restituitur statum. Hæc sufficiāt de origine ac scaturigine thermarū Fauariarum.

De viribus & virtutibus thermarum Fauariarum.

Caput II.

THermarum Fauariarū vires describentur in hunc modum. Homo habet suo in corpore instrumēta purgationis, quæ emunctoria appellantur, per quæ sibi aduersa expellit: sed frequēter adeo imbecillis est natura, (cuius in auxilium medicina creata est) vt sua vi per emunctoria nequeat excrementa propellere. Quædam partes sunt purgātes per cutem, in quibus natura si fuerit

nimis imbecilla, ſuccurrendum eſt ipſi. Nam vbicumque ipſa conantur expellere, illic medicus præſtabit ipſis auxilium. Itaque ſola purgantia ſunt prædita virtutibus expellendi. Porro quædam in corpore dum ſunt, expellunt, veluti Rheubarbarum: nonnulla foris extrahunt, ceu ſunt thermæ. Sic hæ quoque thermę Fauariæ ſunt præditæ facultatibus purgandi ea, quæ nequeũt emunctoria ſuis naturalibus viribus prę ſtare: eaq; per cutem & carnem ſua magna efficacia & virtute prouocant, ſicut per inteſtina intus operatur ſcammonea. Prætrea vobis cõſtat, varia herbarũ genera, aliasque res exiſtere, quæ extrinſecè purgant, veluti cicatriſantia, cantarides, mellones, flammula, & eius generis reliqua. Huiuſmodi herbarum & reliquorum ſimplicium proprietates & vires animaduertetis his thermis etiam aſcribi. Vnde vos doctores omnesque medicos minimè latebit, horum duorũ veram ſcientiam eſſe vobis comparandam, quò ipſos, qui extrinſecè adhibita medicina purgari debẽt, in has thermas Fauarias collectis. Similiter virtures cicatriſan-

catrisantium probè habeatis perspectas. Nam harum virtutes thermarum, aliorum omnium simplicium vires lõgè superant, ac quintæ propemodum essentiæ similes sunt, quod vobis hoc modo planum faciam. Vobis omnibus satis superque notum est, varias esse caloris naturas, & istum calorem, qui sensu percipitur, longè præstare alteri, qui non cadit sub sensum. Secũdò hæc notate. Alius est calor, quem Sol excitat: alia operatio fit calore simi: alius calor ignis, qui fouetur lignis: Sic quoq; alius calor, aliaq; operatio ignis, qui lapidibus fouetur: quæ ratio valet quoque in reliquis. Quod exẽplo euidẽtius apparet. Imponas massam aliquam vitro, & occludas illud, exponasque Soli, & certa fit putrificatio ab alijs diuersa: imponas fimo calido, ac digeretur peculiari quadam putrefactione: imponas igni, qui lignis nutritur, & senties aliam: alia fit digestio & putrefactio in calida aqua: alia quoque in calido aceto, & alijs similibus: quorum singuli calores, singulas proprietates habent. Quum itaq; operationes calorum adeo varios demonstrent effectus, & nõ

ſemper vnam digeſtionẽ: cogimur ſanè naturali harũ thermarũ Fauariarũ calori concedere ac tribuere operationes in attrahẽdo, quæ lõgè excellant alia attrahentia. Siquidẽ virtute ac natura caloris vis attractiua ita cõfortatur, vt nulla medicina in iſtiuſmodi operatione ſit ipſis cõferenda. Quare cogitate, calorem eſſe diligentiſſimè conſiderandũ ac conſeruandum, ceu arcanum aliquod.

Adhæc morbi aliquot ſunt, qui his thermis curantur, & non extrahuntur, vt podagra, arthetica, contractio, aliſque ſimiles, & vulnera: quorum curationũ cauſas ſic accipite. Omnes vires, quas ſubtilis terebythina & liquores mãdibularũ continẽt, in thermis Fauariſs reperiuntur. Hunc ſanè effectũ nec calor nec frigus præſtat, ſed peculiaris quædã virtus, quam Deus ipſis indidit ad vtilitatẽ ægrotãtium. Quia illic inuenitur virtus iuæ potabilis. Qua de cauſa medicus hîc nequit iſtos medios ſiue tertios morbos (vt modò diximus) purgationibus in corpus ſumptis, nec vllis extrinſecè adhibitis medicinis curare, ſed relinquit homines minimè curatos. Debent autem ſanita-

nitati restitui per iuam artheticam, quæ satis copiosè hîc inuenitur. Multũ profectò hic innatus calor agit, qui optimè conuenit cum humana natura. Quoniã innatus calor magna & præclara efficit. Sic gallinarum calor excludit pullos. Tali etiã calore bombices vermes nascuntur. Calor quoque mulierum senio confectarum vitam producit. Quare obseruate, cùm istiusmodi calor insitus adsit, has aquas fauarias necessariò præualere omnibus simplicibus, quæ eius licet generis vires habeant, tamen calore ordinato carent.

Quos thermæ Fauariæ morbos, & quomodo curent. Caput III.

MOrborum cura his thermis perficitur duobus modis, extrahendo materiam, ex qua morbus oritur, & consumendo eãdem. Quod istiusmodi similitudine intelligetis. Quemadmodum Deus creauit indiditque magneti facultatem attrahẽdi ferrum: ita etiam huic aquæ Fauarianæ tribuit virtutẽ attrahendi & extrahendi è lacertis corporis omnes morbos chirurgicos. Aqua ista est medicina, qua chirurgus vtetur

in omnib⁹ morbis dubijs: hoc est, quod naturalis operatio nequit præstare, hoc efficiunt istæ thermæ. Interroganti verò huius rei causam, proponetur magnetis efficacia, tanquam argumentum. Quæcumq; enim Deus adeo mirabiliter ordinauit, ea lumen naturale non potest assequi, sed arcanum ipsum sua vi demõstrat. Deinde aquis ijs inest virtus auferendi eam materiã quam facultas attrahẽdi non potuit superare: non secus atq; vento, humores terræ, & soli magnas foueas aquis plenas exoneranti & exiccãti. similiter enim hæ thermæ exonertã materiam & fluxum morborum. Ne autem hoc loco piscinæ in Siloa obliuiscar, in quam certis temporibus angelus Domini solet descendere, & aquam cõmouere, in quam commotam primus qui descenderat, sua ægritudine liberabatur. Naturale quidem lumẽ haudquaquàm æquale est angelo, cui illud semper debet cedere: nihilominus tamẽ hinc obseruabimus, & in naturæ mysterijs diuinam potentiam longè magis esse considerandam, quàm humanas explicationes: & quæcumq; diuina manus apprehendit,

hendit, ea certissimè perficiuntur. Demonstrat enim medicina, Deum superare naturam.

Quare infirmus, his qui vtitur thermis, non finiet tempus lotionis communi cõsuetudine, sed pro morbi sui ratione lauabit. Aliqui morbi nono, vel decimo die finiũtur, alij duodecimo, vel decimoquinto, & alij alios habẽt terminos. Quia oportet cõstitutiones hominum duriores & molliores, diligentiam in lauando, actiones, & morbi naturam considerare. Postea ægrotus suũ corpus bene mouebit, & quod si materia ista corpori inclusa nequeat educi per poros, cutis aperienda, & auferẽda est, quò discedat. Tantum enim possunt thermæ. Præterea animaduertendũ est, non semper vno certo lotionis tempore morbos omnino tolli, sed aliquando bis thermæ sunt repetendæ, aliquando ter, diuersis etiam temporibus, quæ suis diebus constant. Causa est, quòd thermis his insit propria facultas digerendi, & proprius syruppus. Quicquid enim sensim maturat, hoc quoque extrahit. Generalia non sunt hîc plura describenda: verùm con-

ſideranda ſunt reliqua eo modo & ordine, quo ſequitur.

De morbis phyſicis: qui thermis Fauarijs curari poſſunt.

Omnis tam marium, quàm fœminarum contractura (hoc eſt, contracta, aut caſu læſa, aut diſſoluta membra) quæ vel ira, vel potatione, vel torminibus orta eſt.

Omnes manuum & crurium tremores, qui naſcũtur ex debilitate ac inopia medullæ, aut ira, aut intemperantia, aut etiam ligamentorum nimia frigiditate.

Omnis podagra, & arthetica, hoc eſt morbus articulorum, qui ineſt glutini albo: Similiter omnes dorſi dolores, coxendicum, alíq́ue eiuſdem generis.

Omnia laſſa & defatigata mẽbra, quæ nimis calidis corporibus naturaliter, aut lõgo labore, vt mechanicis, & tabellarijs, eueniunt.

Omnia membra, quæ conſumuntur ſenſim ex coagulatione, in quacunque corporis parte fuerint.

Omnes inueteratæ febres, præſertim quartanæ, quæ terminos trãſierint, ac

ac nullis medicamentis cedunt.

Omnes morbi, qui ad icterum inclinant, ac qui ex felle originem ducũt, adiuuantibus internis apoſtematibus.

Hi ſunt principales morbi phyſici, qui non incommodè his thermis Fauarijs curari poſſunt.

Præterea duo morbi, paralyſis & diabetica, quorum natura eſt, vt ſi thermæ tertiò renouentur, vel ſcaturiant, maiori ex parte curari poſſint.

Sic etiam inſania, non tamen absque ſequenti conſilio.

Mulierum omnibus morbis cõducit, ſi adhibeantur eo modo, quo in fine huius libri traditur.

Proſunt quoque arenulis albis & rubeis laborantibus, & qui habent calculum mobilem, aut quoduis vitium veſicæ ac renum, modò conſilium ſequens obſeruent.

Sequuntur nunc morbi chirurgici

Omnes morbi latentes & manifeſti inter carnem & cutem, vel in carne ſola, vel in cute: vt ſunt macies, ſiccitas, lentigo praua, pruritus, ſcabies, furfures, ſerpigo, ſaphata, cutis corroſio, & omnes e-

ius generis sordes, quæ scabie pruritu sentiuntur.

Hi morbi sunt chirurgiæ, qui ex internis oriuntur.

Omnia cruriũ vitia, quæ infra genua habent emunctorium patens, per quod emanat siue profluit pus, aut aliud quidquis.

Omnia purulẽta exulcerataq; crura, & omnia fluentia vlcera, in quacumque sint corporis parte.

Omnia vlcera, quæ crustis teguntur, vel multis foraminibus patent.

Omnes inueteratæ pustulę, quæ non cesserũt medicinæ, sed deteriores ea factę sunt, vnde contracturæ similesque morbi oriuntur.

Ferrugines humidæ ac fluidę, cancer mordax, fistulæ & nacta, & alia vitia corporis tumida, quorum foramina sunt sicca.

Vires thermarum in vulneribus & morbis qui externis causis fiunt.

Omnia vulnera, quę nimis cito conglutinantur, absque vera naturali carne.

Omnia vulnera, quæ in extremitate cutis dum sanantur absque fundamento,

to, interiora suffocantur.

Omnes fracturæ ossium, quæ aut malè componuntur, aut alioquin malè curantur.

Omnia membra luxata, aut loco mota naturali, & quæ tormentis corrupta sunt, vel nimium refrigerata.

Membra, quæ post vulnus quauis de causa consumuntur.

Omnia vulnera pungendo facta, vel iaculando telis, aut globis, quæ alioquin curam non admittunt: ac quoties tela vel globi inclusa sunt, quæ difficulter educi possunt.

Omnem sanguinem recentem, vel mineratum ex casu, impulsione aut cõcretum, siue in partibus interioribus, siue exterioribus existat resoluit.

Omnibus membris, quæ iam breui, aut olim nimio frigore læsa sunt, frigus extrahunt ac naturalem restituunt calorem.

Hi proximè suscripti morbi aliquando his thermis curantur, aliquando non: Qua de causa ipsis vtentur consilio doctoris.

Pustulæ sine cõtractura & Mercurio, infectæ veneno: & erysipelas, quod est

pustula, siue tumor rubens.

Hi morbi non curantur Fauarianis thermis.

Nulla lepra, excepta ea, quæ originem ducit ex menstruis.

Nulla hydropisis præter eam, quæ nõ nascitur ex vlceribus.

Nullæ mulieres grauidæ, & quæ diuturnos habuere morbos.

Hæc ipsi curantur, qui internis vlceribus infecti sunt: nec ij, quibus signa paralyseos adsunt.

Nulli laborantes pustulis & simul cõtractura, vel hac sola: nec vlli, quorum sanguis ascendit nimium versus caput.

Nulli caduco laborantes morbo.

Nulli natura dispositi ad dysenteriã, vel alium ventris fluxum.

Nulli etiam, qui facilè ex ira laborant torminibus.

Quare (vt diximus) quisque ægrotus suũ examinabit morbum, ac deinde in his thermis Fauarijs ordinem, qui nunc sequitur obseruabit.

Caput

Caput IIII.

Hæc præcepta imprimis obseruanda sunt.

TEmpus lotionis plenè absoluēdum est. Si vnum constitutum non sufficiat, repetendum est, donec absoluatur cura.

In cibo & potu sumendo magna diligentia est adhibēda, & nunquam victus ratio est negligenda.

Corpus est calidè conseruandum, frigida aqua non est aspergendum, à vento cauendum, vestibus & calceis muniendum, à Venere abstinendum, & vno verbo vt dicam, minimè vires thermarū istiusmodi sunt negligendæ.

Ordo in cibo & potu qui sit obseruandus.

Hæc vitanda in vsu thermarum.

Alliū, cæpæ, raphani, sinapi, porrum, vinum sublimatum, pisa, lētes, fabæ, lac, pultes ex lacte, caseus, nisi fuerit recens: ferinæ præter eas, quę verno tēpore captæ sunt, carnes porcinæ, caprinæ, & omnis caro vetus, anates cùm syluestres, tū domestici, anseres, & vetustiores columbæ, cōditæ carnes & pisces, anguillæ, gobij & murenæ, vina mixta, vehementia, turbida vel austera.

Reliqui cibi & potus laudantur & conducunt.

Aromatica nullo modo sunt sumenda, vt cinnamomum, crocus & macer.

Quisque pro sua constitutione magis ac minus sui habebit curã, cauebitq; à prohibitis: Etiã ipsi, qui delectationis gratia lauant, suæ constitutionis singuli habebunt curam.

Cætera, quæ hîc obseruanda sunt, facilè docebunt ipsi, qui thermis præsunt. Nam quotidiana experientia superat librorum consilia.

Omnibus, qui thermis vtũtur, etiam si alioqui nullam accipere medicinam velint, multum tamen prodest, singulis diebus manè stomacho ieiuno tria grana iuniperi ex aceto sumere ad purgandum sanguinem.

Ad hæc notabis, in his thermis Fauarianis lauandi nõ posse certas præscribi horas. Siquidem ex morbi quãtitate ac thermarum viribus, quæ petũtur ex anni partibus, consilium ac tempus lauandi sumitur, nõ ex arbitrio doctoris. Thermæ enim agunt pro sua natura: qui autem in lauando vellet certum horarum & die-

& dierum numerum sequi, ac thermæ ipsi non cõuenirent, profectò morbum deteriorem faceret.

Multi quoque morbi sunt, qui secundo quoque anno, aut tertiò thermas requiruntur, quibus minimè vsus earum negabitur, vt corporis fluxus, arthetica, podagra & vlcera continuò fluxui obnoxia.

Peculiare consilium in aliquibus magnis morbis obseruandum.

Certa illa victus ratio omnibus iam nota, quam ij, qui aquas ligno guaiaco decoctas bibunt, diligenter obseruare solent, vnâ cum thermis magnos & periculosos curat morbos: vt sunt omnes isti externi & interni, qui ex fluxu originem ducunt: similiter omnes, qui ligno guaiaco ac temperantia ex parte curantur, hîc fœliciter & bene omnino tolluntur.

Deinde nõ est negligendũ hoc, offas, quæ in cantharis coquuntur, esse sumẽdas absque crassiori sustantia, propter virium restitutionem.

Aliud consilium curandi morbos, quos ther-

mæ ſolæ propter ſuam naturalem debilitatem nequeunt vincere.

Vt ſunt contractura, podagra, membrorum conſumptio, paralyſis, & omnia vlcera, quibus in cute foramina ſunt, are nulæ, inſania, & quæcumque ad curam ſpectant vulnerum.

In contractura ſananda ſic agendum eſt. Poſtquam tempus lauãdi primò abſolutum eſt, oleo vulpino cum balſamo de galbano mixto, (vt Arnoldus docet) manè & veſperi ex cõſilio doctoris mẽbra ſunt inungenda : & contracti eo modo ſanitati reſtituentur. Conducit etiam vt poſt vnctiones iterum incipiant lauare.

Eodem modo in podagra quoque faciendum eſt : vel poteris balſamo de mummijs ex noſtra traditione inungere, ac deinde quotannis in ipſo puncto nouilunij ex conſilio doctoris ſecare venam fluxus.

In membrorum cõſumptione, ac paralyſi prodeſt, vt poſtquam lotionis dies ferè abſoluti ſunt, ſucco flammulæ, aut lini paluſtris, additis cantharidibus, aut ſimili attrahẽte, corpus fricare, ac aperta cute

ta cute rursus ingredi thermas, donec morbus euanescat. Ita quoque curātur alopecia, & scissuræ siccæ manuum, aliaque corporis partium.

In corporis vitijs fluidis & in cute patentibus, vbi lotionis tempus ferè absolutum est, adhibenda sunt emplastra & oppodeltoch, aut apostolicon verum & diaquilon, quæ sanant conglutinantq; ea, quæ thermæ non potuerunt. Venarum sectiones, & purgationes minimè sunt omittendæ, modò fiant è consilio periti medici.

Sic contra arenulas, & calculos mobiles, conducunt litontripon & benedicta laxatiua, antequam infirmus thermis ingrediatur, sumpta, quòd mucilaginem & arenulas moueāt è corpore.

In insania, quoniam vniuersa materia propellitur in caput, venæ pulsatiles secandæ sunt, vel centrum capitis, vel quatuor eius partes cauterijs aperientur.

Vulnera malè conglutinata iterum aperiunt hæ thermæ, ac ita præparant, vt quiuis peritus chirurgus ea ex fundamento plenè queat sanare.

Interpretatio germanica vocabulorum, quibus superioribus in capitibus vsi sumus.

ACRONIVS.

Hæc vocabula docendi gratia & nos ex autoris sententia explicabimus, quòd lectori & in huius libri lectione, & aliàs vsiti esse possint.

Sulphur, est liquor, qui ardet.

Mercurius, est illud corpus, in quo conseruantur proprietates.

Sal, est illud, quod conglutinat in vnum corpus.

Materia, est res, quæ manibus apprehenditur.

Corpus, est ea substantia, in qua virtutes latitant.

Iliaster, est prima materia ante rerum informationem.

Magnalia, sunt opera Dei.

Arcanum, est peculiare & precioſum quiddam experientia inuestigatum.

Constellatio, est concordia & cõiunctio superiorum & inferiorum.

Terminus, est scopus & finis, quò cuiusq; rei dominium circumscribitur.

Operatio, est actio, quam natura perficere potest.

Emuncto-

Emunctoriorum, est locus naturalis purgationis.

Reubarbara purgat fel.

Cicatrisans, est res, quę suo ardore pustulas efficit.

Melaones sunt scarabei, quos Germani vocant Meylander, hoc est, Mediolanenses.

Flammula, est ranunculus.

Quinta essentia est id, quo natura exaltatur supra suum gradum.

Putrefactio est rei corruptio in vltimam essentiam, siue materiam.

Digerere, est rem præparare ad aliam essentiam.

Attractiuum est, quod naturaliter attrahit.

Liquores mandibularum, sunt olea ex mandibulis.

Pulsatiles, venę sunt temporũ capitis.

Conclusio & salutis præcatio ad infirmos.

NOuistis, optimi infirmi, experientia que didicistis, rerum naturalium virtutibus multa esse aduersa, ac complura arti adhærere prosus repu-

gnantia, attamen hoc loco & tempore minimè enarranda. Quæ omnia cùm Deus ab æterno diuinitus satis prouiderit, itaq; ne ægroti fallerentur, neuè morbis semper vexarētur, sed potius liberarentur, factum est, vt Deus sua peculiaria composita ordinarit, veluti scaturientes aquas, in quibus plures perfectioresque vires & virtutes reperiuntur, quàm in libris ac literis vltrò citroq; scriptis. Huiusmodi diligētervobiscum perpendite, magna cum gratiarum actione, omniq́ue leuitate amota. His, sitis Deo commendati.

FINIS.

Melaones, inter imprimendum erratum putantes, Melones scripsimus.









BIBLJOTEKA KÓRNICKA
13992
13993

DE
NUMERO
NOTIS
GRAECIS